


AIRIE ANCIENNE
ROME



JACOBI BERENGARII

Carpensis

Chirurgiæ olim in Bononiensi Academia Professoris celeberrimi,

DE FRACTURA CRANII LIBER AUREUS.

Hactenus desideratus.

Editio nova, ab innumeris mendis vindicata.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud Vid. & Fil. CORN. BOUTESTEYN.
1715.

Jacobi Berengarii de Fractura cranii librum hic tibi damus, Lector benevole: opus paucis hactenus visum, sed à plurimis desideratum. Fama certe maximi viri, & cui multum adeo res medica debet, quemvis ad lectionem monumentorum illius ingenii debuit allicere. Sed delituerunt illa jamdudum tenebris prope obruta, sive sermo incomptior sive aliud quidpiam quo minus frequenter ederentur obstiterit. Namque hæc pestis hodie lepidos multorum invasit animos, ut nisi omnia verba sesamo conspergas aut papavere, illos non habeas lectores. Adeo delicatis sunt auribus ut ad robustiorem voculam quæque paulò asperius membranam radit nauseent confestim & palleant. Digni hercles qui sonos meros audiant non voces. Sed in vocabulis mentis conceptus, in conceptibus veritatem quærit seriæ eruditionis consultus. Hanc si nanciscatur quacunque demum illa induta sit veste, lætatur ut qui amica potitur: in lucro deputat si nitidè eam videat excultam. Idcirco & nos indignum rati stulta adeo de causa perpetui situs damnari nobile hocce doctissimi viri opusculum, in lucem illud denuo producimus. In quo multa nova observata, multa obsoleta in artis usum postliminio reducta, omnia longa firmata experientia reperiuntur. Ut haud immeritò aurei titulo, tametsi non sine exemplo majorum à nobis sit insignitum, Curavimus autem ut quam emendatissimé ederetur. Unde infinita propemodum, quæ sive typographi sive seculi vitio erant commissa, aut correximus aut sustulimus: ita tamen ut infra audaciæ fines substiterimus, quam in ejusmodi negotiis haud pauci nimium quantum exercent.

GABRIEL FALOPPIUS *Obſervat. Anatom.*

HÆc auris oſſicula antiquis Anatomicis (ſi eorum ſcriptis fidem præſtamus) ignota fuere, primuſque qui in lucem produxerit, fuit Jacobus Carpenſis, primus quoque procul omni dubio Anatomicæ artis, quam Veſalius poſtea perfecit, reſtaurator. Nam in Iſagoge anatomica, & in commentariis in Mundini Anatomia, luculentam duorum oſſiculorum mentionem facit, quorum hiſtoriam poſtea divinus Veſalius explevit.

IDEM *l. de morbo Gallico c. 76.*

Prima ratio empirica, qua ſanatus eſt morbus in Italia, fuit ab argento vivo ſumpta: quoniam cum ceperat graſſari morbus, chirurgici qui nitebantur omnem lapidem movere, cum legiſſent hydrargyrum nimium valere ad ſcabiem rebellem, cumque primis temporibus lues hæc ulcera afferret, experti ſunt argentum vivum. Et feliciter quidem: unde multi divites facti ſunt. Inter quos Jacobus ille Carpenſis, cum ſolus calleret ſecretam hanc medicinam, ita opulentus redditus eſt ſolo iſto quæſtu, ut teſtatus fuerit numeratam pecuniam 40000. ſcutatorum, præter argenteam materiam: quæ omnia Duci Ferrarienſi reliquit: omnis enim aqua ad mare currit. Hic ita erat infenſus Hiſpanis ut cum eſſet Bononiæ, geminos ex iis laborantes morbo Gallico ceperit, & vivos anatomicis adminiſtrationibus deſtinaverit; qua de re profligatus Ferrariæ obiit.

MARCELLUS DONATUS *Hiſt. mirab. Med. l. 5. c. 4.*

Carpus in ſuo tractatu aureo de fractura cranii inquit: Quod contingat cerebrum lædi & ſanari.

JA-

D. JOANNI JACOBO RAU
MED: DOCTORI EJUSDEM FACULTATIS EADEM IN MEDICINA IN ARTE ANATOMICA PROFESSORI DEXTERRIMO.

Novam hanc *Jacobi Berengarii de Fractura Cranii* Editionem, ut mentem gratam, debitamque obfervantiam teftaretur, eâ, quâ decet, animi reverentia

Offert & infcribit

PETRUS BOUTESTEYN.

EXCELLENTISSIMIS

AMPLISSIMIS, EXPERIENTISSIMISQUE

VIRIS

D. BERNHARDO ALBINO
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS IN PRUSSIA CONSILIARIO AULICO ET ARCHIATRO, IN CELEBERRIMA ACADEMIA LUGDUNO - BATAVA MEDICINÆ THEORETICO-PRACTICÆ PROFESSORI SPECTATISSIMO.

D. HERMANNO BOERHAAVE
PHIL: ET MED: DOCTORI, IN EADEM HAC ACADEMIA MEDICINÆ ET BOTANICES PROFESSORI CELEBERRIMO.

D. JO-

JACOBI BERENGARI
DE
FRACTURA
CRANII
LIBER.

PROOEMIUM.



SErmonem facturus de capitis ſoluta continuitate (ſtricto modo ſumendo caput) ſive teſtæ, ſive caluæ, ſive cranii, dividam hunc tractatum in duas partes principales: Prima pars erit de cauſis à quibus veniunt nomina & ſpecies ſolutæ continuitatis. Secunda erit de ſignis & de prognoſtico ſive judicio, curam etiam rationalem in ſe continens.

PARS PRIMA.

CApitis ſoluta continuitas duas habet cauſas, unam intrinſecam, alteram extrinſecam: de prima hic nihil vel parum intendo; ſecunda triplex eſt, ſicut poſſunt

esse tres modi notabiliter distincti. Primus modus est à re incidente: Secundus est à re contundente; Tertius est à re perforante, atque ita erunt tres causæ quæ à medicis primitivæ appellantur, adeoque tres species in universali solutæ continuitatis, tria nomina habentes, à quibus species descendunt particulares, de quibus infra latius dicetur. Prima species erit incisio, secunda contusio, tertia perforatio.

Ad intelligentiam quarum noto quòd quarto Ingenii dicitur, quòd non uno vocabulo denominatur solutio imparis, si in carne vulnus, si in osse fractura. Et sic dantur multa nomina. Et Theoricæ ab Haly distinguuntur species solutionis continuitatis penes tria: primo à natura particularum, quia quædam in consimili, quædam in composito: secundo ab esse solutionis, quia aut simplex aut composita: tertio à propriis differentiis solutionis, ut à magnitudine, parvitate, & id genus. Et Avicenna secunda primi, doctrina prima, summa prima, Capitulo quarto inquit: *quod solutio continuitatis multas habet species: ut est vulnus, ulcus, fractura, apertura, disruptio, attritio, contusio, separatio, ruptura, & id genus aliæ.* Et idem doctrina secunda, summa secunda,

ca-

capitulo ſecundo ponit differentias ſolutæ continuitatis penes cauſas efficientes; inquit autem: *Cauſæ quæ extrinſecus ſunt, ſunt ſicut corpus extendens, ut funis, & pondera, aut quod incidit ut enſis, aut quod adurit ut ignis, aut quod contundit ut lapis, aut corpus quod perforat ut ſagitta, & ſimilia, aut quod mordet ut vipera & canis.* Sed quia auctores prædictos & omnes alios ſæpe video prædictis nominibus ſolutæ continuitatis abuti, unum pro alio ponentes, ideo de nominibus à me hic non erit cura, eò maximè quia alibi latius de hoc dicturus ſum.

Et ita differentiæ ſolutæ continuitatis in capite, à me de præſenti ſumuntur penes cauſas efficientes, & hinc trahent nomina ſua. Et quamvis poſſint cauſæ diverſæ diverſas facere ſpecies ſolutæ continuitatis etiam in capite, (ut ignis urere, & morſus viperæ & aliorum animalium continuum ſolvere, & malam qualitatem venenoſam capiti inferre) de iſtis hic nihil vel parum intendo loqui, intendo tantum de inciſione, de contuſione, & perforatione, in qua finaliter fit læſio cranii & annexorum, & ſi aliqua dicerentur de inciſione, & perforatione, & contuſione ſive cranii fractura, hoc erit ad majorem declarationem, per accidens tamen, quia titulis hu-

jus libelli eſt de fractura cranii & annexorum. Quia igitur per me hæc tria nomina impoſita ſunt ſolutæ continuitati in capite penes cauſas, primò penes cauſam incidentem, ſecundò penes cauſam contundentem, tertiò penes cauſam perforantem: videndum eſt quid ſit harum quæque penes definitionem eſſentiæ ipſarum. Dico ergo quod inciſio eveniens capiti eſt ſolutio continui pauci numeri, facta ab aliqua re incidente, ut enſe, gladio & ſimilibus: quæ quia eſt in oſſe, fractura deberet vocari, ſed hic ſumit nomen à cauſa. Contuſio vero capitis eſt ſolutio continui multi numeri, facta à re obtuſa contundente, frangente, & conterente, ut à baculo, lapide, & id genus. Fractura verius nominata, ſi in ea contingat os lædi, ſive manifeſte frangatur ſive plicetur: quia nec plicatura eſt ſine aliquali fractura quamvis ſit valde occulta magis tamen in corpore ſicco; & hoc rimentur qui altiora petunt. Perforatio autem capitis eſt ſolutio continui pauci numeri facta à re perforante, ut ſtilo, ſagitta, & ſimilibus, ſuum nomen etiam trahens à cauſa. Reperiuntur à multis ſcripta eſſe diverſa nomina ſolutæ continuitatis in capite, quæ omnia poſſunt reponi ſub prænominatis nominibus, ſed diſputatio de nominibus parum aut nihil con-

confert in cura ægritudinis, tamen ut junioribus ſatisfaciam, has pono ſpecies magis in particulari.

Primò dico quod capiti accidit inciſio parva, vel non penetrans ad inferiorem ſuperficiem cranii: vel penetrans & tamen ſubtilis. Eſt & ſine læſione panniculi, quæ poteſt appellari Capillaris, & in cura ejus proceditur ſicut in cura veræ Capillaris factæ à re contundente ut loco ſuo dicemus; hæc vocatur nono Practicæ ab Haly cap. 3. Ragamia, & in Pantægni nono Practicæ cap. 97. nominatur Darcam ſive Rhagamia, à ῥαγὰς, id eſt ruptura.

Alia eſt ſpecies in qua os eſt inciſum ſuperficialiter, cum remotione primæ ſuperficiei oſſis, quæ ab Haly ſupra vocatur Aberia, in Pantægni vero dicitur Angin.

Eſt alia ſpecies in qua totum os eſt remotum uſque ad panniculos, quæ ab Haly dicitur Apoſtatiſmos, in Pantægni Cutomatos & Apoſtatiſmos. Hanc ſpeciem Albucaſis vocat Axialem, eo quia axia inſtrumentum ſic operatur in ligno. Crederem ego quod Alberia ſive Angini verius poſſet dici Axialis, quia carpentarii in lignis non movent axia niſi primum ſuperficiem ligni: in iſtis tamen nolo contere re tempus.

Eſt alia ſpecies in qua frangitur cranium in partes plurimas, & deſcendit ad Syphach infra os ſanum, ab Haly dicitur Empiaſma, in Pantægni dicitur Antiaca & Empiaſma. Ab eiſdem datur unus alius modus rupturæ qui eſt ſimilis iſti, de quo non curo ponere nomen.

Eſt alia ſpecies in qua os frangitur tantùm inferius verſus panniculum, & dicitur Maruſis ab Haly, in Pantægni vero Moneſis vel Maruſis. Hanc ſpeciem credo ego eſſe plicaturam oſſis; quando os plicatur, & intra tantum rumpitur & non extra.

Eſt alia ſpecies in qua os plicatur ad interiora, quemadmodum accidit vaſi plicabili cum durum corpus illud percuſſit, quæ accidit oſſibus mollibus ut puerorum. Hæc ab Haly vocatur Hæſena, & dicitur plicatura ſine ruptura cranii: in iſta credo ego aliquam rupturam eſſe, occultam tamen, etſi corpus ſit molle ſuo modo, maximè intra ipſum os.

Unum ſcias volo lector, quod ſuperius adduxi auctoritatem Haly nono practicæ, & nono practicæ adduxi in Pantægni ferè idem; ſed nota quod Pantægni fuit compoſitum ab Haly, tamen à Conſtantino Aphricano mutatus eſt libri titulus, qui ſibi Conſtantino tantos aſcripſit labores, mu-

mutatis aliquibus contentis in libro Haly, qui Diſpoſitionis regalis dicitur liber. Sed nuper quidam junior Symphorianus Camperius dictus, dicit Pantægni & librum prædictum Haly (qui idem ſunt, mutatis tamen aliquibus) eſſe Iſaac, dicens Iſaac ſe ipſum in libro de febribus allegare in Pantægni, quod verum eſt; ſed credo quod ſit alter Pantægni: ſed quia idem dicit Raſim allegare Iſaac in Continente, quod verum eſt, ideo dico hoc opus non eſſe Iſaac, quia antequam eſſet hoc opus, erat Raſis, ut apparet in procemio libri Diſpoſitonis regalis, ubi inter alios medicos, qui ante eum Haly fuerunt, laudatur Raſis. Ideo hac ratione motus teneo illud opus eſſe Haly, & etiam quia video tot & tantos doctos viros adducere auctoritatem Haly, & uni contra tot & tantos viros cedere fatuum eſt, cui contradico habita licentia à prænarratis. Aliam habeo rationem quæ eſt, quod Raſis xv. Continenti adducit auctoritatem Iſaac de ſagittis extrahendis cum remedio ranæ ſuprapoſitæ; ſed ubi nono practicæ in Pantægni datur modus extrahendi ſagittas, ubi fit ampliſſimum & optimum capitulum de hoc, nihil loquitur de rana, ideo dico iſtud Pantægni non eſſe Iſaac, ſicut dicit Symphorians prædictus.

Reperio præterea alias species læsionis in capite, quæ carent peculari nomine. Una est quod interdum non fracto cranio rumpuntur aliqui nervi cerebri, vel aliquæ venæ in panniculis ejus ex motu forti, vel ex casu & percussione cum re gravi, potente movere cerebrum, & maximè in corpore sicco, ut sunt corpora senum, quibus magis aptum est moveri & rumpi cerebrum propter medullam eorum exsiccatam & diminutam, ut patet sexto Aphorismorum per Gal. co. 58. super illo Aphorismo: *Quibuscunque cerebrum motum fuerit ab aliqua actione, necesse est sine voce fieri statim.* Et experientia hoc anno vidi in Magnifico D. Hercule de Marschoti, qui plures habuit contusiones à re ponderosa, & nullam habuit in cranio rupturam & adhibita omni cura per medicos mortuus est tandem: & non dico tantum ex ruptura nervorum cerebri (quia isti sine voce fiunt, maximè si patiuntur nervi à quibus oriuntur nervi reversivi, qui dicuntur nervi vocis) sed credo quod in ipso fuerit rupta aliqua venula cerebri, & forte aliquis nervus, à qua venula inducta fuerit mors propter sanguinem ibi in loco non cognito putrefactum. Et ista species læsionis est mala, & interitus causa, quia medici nesciunt

lo-

locum venæ, quia si scirent, aperirent & mundificarent sanguinem & saniem, & ita posset ille sanari. Hanc opinionem de venis tenet inter alios Celsus cap. de curatione calvæ, istis verbis: *Aliquando tamen evenit ut os quidem totum integrum maneat, intus vero ex ictu aliqua vena in cerebri membrana rupta aliquid sanguinis mittat, isque ibi concretus magnos dolores moveat, oculosque obcæcet.*

Est alia species læsionis à me ter visa in actu practico in capite, à qua decipiuntur medici, sc. quòd osse non fracto interdum à re gravi contundente, vel casu ab alto, pars cranii (qualiscunque sit pars, an anterior, an posterior, an lateralis) percussa, percutit partem sibi oppositam: ita quòd commissura percutit commissuram propinquam, & etiam longinquam, (dico *longinquam*: quia possibile est quòd os frontis impellat ossa bregmatis, à quibus componitur in eorum medio sagittalis commissura in osse Laudæ) & quia à commissura qualibet exeunt villi nervorum, & ipsa dura mater conjungens se Almocati, & aliqua venula, nervi, & venulæ, & panniculus ipse inter duo ossa contunduntur, deinde in successu alicujus temporis putrefiunt, (*quia omne contusum necesse est putrefieri & in saniem converti*) & super-

venit febri, & alia mala accidentia, & inde mors. Et in hoc hæsitant medici, & credunt aliqui, quòd stante contusione in una parte, etiam cum fractura illius partis vel sine, quòd sit fractura in opposita parte, per apparitionem saniei in opposito loco, sine fractura cutis: quia ubi pannicu-lus est coarctatus & contusus à commissura, ibi fit à sanie genita tumor aliquis, & saniei aggregatio: ut ego ter vidi anatomizando capita. Et similes casus reperi absque fractura oppositi ossis.

An autem os possit rumpi in opposita parte, suo loco dicemus; hoc sufficiat de speciebus solutæ continuitatis, quæ possunt esse ferè infinitæ respectu causæ: quia alia magna, alia mediocris, alia parva, & diversarum formarum; quæ omnes possunt reduci ad supradictas species, maximè ab illis qui sunt boni judicii & solertis rationis, sine quibus ad hanc artem non accedant aliqui.

De nominibus specierum aliqua dixi ad juvenum utilitatem, non quod in his sit intentio mea, sed in curationis modo tantùm intendo multa proferre. Sic igitur, quantum spectat ad primam partem, visæ sunt species solutæ continuitatis, & causæ simul & nomina. Ad secundam partem transeundum censeo.

Pars

PARS SECUNDA

CAPUT I.

SOlent Medici poſtquam de eſſentia morborum, & de ſpeciebus, & de cauſis determinarunt, de ſignis alio loco dicere, deinde de judicio ſeu prognoſtico, demum de cura eorundem.

De ſignis primo dico quod facilius medici veniunt in cognitionem ſolutæ continuitatis in capite facta à rebus incidentibus & perforantibus an ſint cum fractura cranii, & panniculorum læſione, & cerebri, quàm à rebus contundentibus: & hoc conſonum ſatis eſt rationi & cuicunque experto.

Signorum ergo aliqua ſunt quæ ſignificant læſionem cranii tantùm, & aliqua quæ læſionem cerebri, & aliqua ſunt ſigna quæ ſignificant apoſtemationem, & aliqua ſunt ſigna quæ ſignificant materiam defluxam & gravantem panniculos ſive cerebrum, & aliqua ſunt quæ ſignificant cranium gravans ſive pungens cerebrum aut panniculos, & aliqua ſunt ſigna quæ ſignificant panniculum durum eſſe ſeparatum à cranio. Hæc ſunt ſigna de quibus in præſenti pro cognitione ſpecierum

læſionum prædictarum intendo junioribus ſcribere.

Incipiamus ergo à ſignis læſionis cranii. Dicimus quòd ſignorum alia præſumptiva ſunt, alia ſenſibus manifeſta. Præſumptiva ſunt hæc, ſcilicet oculorum rubedo, bilis vomitus, loquelæ amiſſio, & caſus ad terram tempore percuſſionis ictus robore, & febris, & mentis ſtupor. Hæc enim non ſine oſſis fractura veniunt: poſſunt tamen evenire hæc in cerebri commotione, ut loco ſuo dicemus. Etiamſi nullum horum ſecutum ſit, dubitari poteſt an os fractum ſit: quia non neceſſario ad oſſis fracturam talia ſequuntur, ſed conſiderata rei lædentis qualitate, ut ſi lapide, ligno, telo, vel ferro percuſſum ſit, & hoc ipſo leni, aſpero, an mediocri, an vaſtiore, leniter, an vehementer: quia quo mitior ictus fuit, eo facilius os ei reſtitiſſe credibile eſt.

Signa vero ſenſibus manifeſta non præſumptiva ſed verè vera, poſſunt tactu, vel viſu, vel utroque certificari. Inquit Celſus: *Ergo qua plaga, eſt demitti ſpecillum oportet, neque nimis tenue, neque acutum, ne, cum in quoſdam ſinus naturales inciderit, opinionem oſſis fracti fruſtra faciat; neque nimis plenum, ne parvæ rimulæ fallant: ubi namque ſpecillum ad os venit, &*

viſi

nisi lene & lubricum occurrit, integrum id videri potest: si quid vero asperum est, ubi suturæ non sint, fractum os esse testatur; à suturis enim in fractura cranii se deceptum esse testatur Hipprocrates.

Inquit Haly de signis fracturæ cranii: *Et cujuscunque fractura quæ capiti accidit cognitio ex corporis fit virtute, quod percutit capitis cranium pondereque & duritie. Et ex percutientis virtute, & ex accidentibus quæ percusso accidunt, sicut scotomia, vocis amissione, & casu subito, significatur hoc quoque cum os sub sensum cadit, maximè si fissura in cute pateat, & magna sit: si vero parva, intelligas hoc ex inquisitione, quæ cum organo fit inquirendi, & fracturæ speculatione. Cognosces etiam*, inquit, *ex sono ipso, quia raucè sonat.* Species autem fracturarum distingue prout superius dictum est.

Adverte lector quod omnis species fracturæ est facilis cognitionis, excepta capillari, & excepta illa specie quæ ab Haly Marusis vocatur, in qua os plicatur ad interiora, & versus duram matrem ruptum est, non autem versus Almocatim: sicut interdum contingit in ligno sicco, vel in aliquo alio materiali, quod rumpitur intra manifeste, & exterius non apparet nisi diminuta ad intra compressio; & hoc magis

gis

gis contingit in ſicco corpore, ſive ſit ſiccum per ætatem, ſive per complexionem, per utrunque. Et ita interdum os Squirlis pungit panniculum, & interdum non pungit. Sed in interiori ſuperficie cranii manifeſtantur fiſſuræ, quam in exteriori: quia exterius interdum nihil apparet. Et hic caſus inter alios timendus eſt, quia medicus cum maxima difficultate poteſt judicare iſtam ſpeciem læſionis, maximè ſenſu, ſed judicio tantum præſumptivo judicabit, viſis accidentibus quæ ſequuntur ad talem ſpeciem, ſcilicet præratis, ſcotomia, vertigine, febre, vomitu, oculorum rubedine, & ſimilibus: addita cognitione cauſæ primitivæ, ut prius de mente Celſi & Haly dictum eſt; quorum opinionem multi alii, & recte, ſicuti ſunt, & maximè princeps noſter Avicenna capite de cranii fractura, verbo illo: *Illud vero, in quo declinatur cum exiſtimatione ad rectificationem.* (Alia litera dicit *ad certificationem*) *eſt ut conſideretur cauſa fracturæ, & ultimatio virtutis rei frangentis in gravitate ſua, aut in ſua magnitudine, aut in ſua fortitudine, ut per illud ſciatur ultimatio quæ oportet eſſe ex fractura; & ſimiliter accidentia ſignificant quandoque illud, ut apoplexia, vel ſcotomia, & deſtructio vocis, & quæ ſunt eis ſimilia.* Et notanter dixit *quandoque*, quia

non ſemper, ut experto poteſt patere.

Nota quòd interdum rumpitur cranium & non cutis, & medicus ignorat locum, qui locus poteſt cognoſci à medico, quia æger ipſe tangit locum quàlibet hora, ut inquit Avicenna verbo illo: *Et multotiens quidem ſignificat locum infirmus ipſe, quod tangit ipſum omni hora, & maxime quando infirmus non poteſt loqui, & in illo caſu in quo os fractum eſt, & quid vel pungit, vel gravat cerebri membranas, patiens ipſe præ dolore loci tangit manibus locum, quia naturale quoddam eſt.* Et hoc apparet in quocunque, quod ubi eſt aliquis dolor, patiens ipſe ſtatim ſuccurrit ſaltem cum manu. Et hoc omnibus eſt notum: non mirum eſt ergo ſi Avicenna poſuit tactum cum manu pro ſigno læſionis loci cui applicatur manus, ſive æger ſit in bono intellectu, ſive non, & non ſaltem ſuccurrit manu, etiam caput hinc inde movet quærens lenimen, utrum autem hic motus ſit naturalis, vel voluntarius, alibi dicemus.

Sed quia ſuperius dixi cutim non rumpi ſed cranium, intelligas cutim non ruptam manifeſte, quia eſt rupta occulte, quia contuſa eſt & ſoluta ſecundum numerum multum, tamen non eſt ſeparata manifeſté. Et aliter nolo quòd intelligas, quia diviſa

&c.

& soluta est sæpe cutis in partes minutas, sed quia est viscosa, remanet juncta simul, & non apparet soluta, maximè apud inscientes hujus artis.

Sunt & alia signa à junioribus scripta, scilicet quod infirmus capiat filum inceratum dentibus, & quidam alter teneat filum manu, & tenso filo percutiat filum baculo vel aliqua alia re, & si infirmus percipit dolorem in capite, maximè in ea parte in qua est læsio, dicunt omnino os esse fractum si non potest pati stridorem factum à filo. Aliqui dicunt quod astantes non possunt pati stridorem, quod ego non credo, pro signo sint aliqui qui naturaliter non possunt pati talia. Et aliqui dicunt quòd ille solus qui tenet filum manu non potest pati stridorem: sed ego credo si hoc signum habet veritatem, quod hoc solum contingat ægro. Et aliqui capiunt filum manu, patiente eundem tenente dentibus, & violenter trahunt filum ictibus pluribus, si causatur dolor, ut prius, dicunt os esse fractum. Aliqui dant amygdalam, vel avellanam, vel nucem patienti, ut tentet eam dentibus rumpere, si dolorem causat in aliqua parte, dicunt in ea parte os esse fractum. Vel jubent aliquem nodum paleæ stringere, & tentare si eam potest rumpere, vel saltem bene constringere,

& si non potest, dicunt esse fractum. Inter alia signa Lanfrancus ponit in cap. de fractura cranii, hæc duo esse certiora aliis, scilicet si caput sicco & levi baculo percussum mutè & raucè sonat, & â filo incerato cum unguibus attracto ad altum, retentum, ut supra stridorem faciat.

Ista omnia ego expertus sum, & istis signis parum credo. Vidi plures homines rumpere testas nucum, & avellanarum, persicorum, & amygdalarum, & sine dolore, & tamen magnam habuerunt cranii fracturam, & ex eis nonnulli mortui sunt. Sed credo hæc experimenta causare dolorem, si fractura sit propè locum ubi alligantur musculi mandibularum, qui læsi pro parte non possunt bene movere membra solita, & ita simpliciter masticando cibum sentiunt, dolorem in aliqua parte ubi magis musculi sunt læsi, vel materia fluxa, & propter vulnus vel contusionem magis est aggregata, impediens liberum motum musculorum, & consequentèr motum maxillarum, ut patet bono Anathomistæ qui scit loca musculorum dictorum; nec crederem quod stridor fili sit signum verum: quia ut supra dixi, multi sunt qui naturaliter non possunt pati stridorem dentium, nisi quæratur prius an hoc sibi sit solitum nocere.

Sunt præterea ſigna quæ docent cognoſcere ſi fractura Capillaris penetrat totum cranium. Primum eſt appoſitio humiditatis nigræ ſupra fiſſuram, & raſpatoriis videre ad quem locum terminatur fiſſura. Et hoc eſt efficax, & verum, & indubitatum ſignum.

Eſt aliud ſignum, quòd clauſo ore & naſo patiens toto conamine impellat aërem à pectore ad caput, & ſi rimula penetrat, videbis aſpiciendo aliquid exire ab ipſa rimulâ.

Eſt aliud ſignum, ſcilicet capiendo maſtichem pulverizatum, & albumen ovi contuſum tantum, quòd miſcendo fit, ſicut mel, ſolidum, & hoc extendere ſuper petia vel corio, forma magna vel parva, ut poſſit poni ſupra os de quo dubitatur, & ſic dimittendo per diem: tunc ſi oſſis fractura penetrat, dicunt maſtichem eſſe in directo fracturæ magis ſiccum quàm alibi. Hoc eſt dictum magni Guidonis, & etiam Nicoli; ſed Bertapalea in ſuo libro de fractura cranii facit duo emplaſtra quæ applicat capiti, quibus cognoſcit non fracta cute an cranium ſit fractum: Unum eſt hoc: *Recipe, thuris, ceræ, laudani ana. ℥ iij, miſce, & capiti raſo applica per diem*, & ubi os eſt fractum ibi cutis ſicca eſt. Aliud emplaſtrum: *Recipe ceræ, thuris, lauda-*

dani ana lib. 1. *terebinthi*, *aceti*, *farinæ fabarum ana lib. med. fiat massa*, *& capiti applicetur*, & ubi cranium fractum est, invenies emplastrum simul cum petia perforatum, sive emplastrum diminutum & exiccatum magis.

Contra quos disputandi causa aliquid dico, & primò, vel nondum sanies aliqua est apta exire per fissuram vel sic; si non, dato etiam quod sit penetrans, potest esse quod indirecto fissuræ exeant aliqui vapores calidi exiccantes masticem in ea parte ubi est fissura, & maximè stante febre, & ita mastix in directo fissuræ erit magis siccum: Si vero esset aliqua sanies sub osse à virtute masticis attractiva attrahitur sanies per fissuram, & ita in directo fissuræ adesset sanies vel aliqua humiditas, & ita hoc signum potest esse fallax nisi diligenter ruminetur.

Oportet ergo in quacunque specie fracturæ, advertere plura signa, & non uno, nec paucis contentari, sed majori parte. Et ubi potest medicus, non solum stilo sive proba sive specillo certificari, sed digito etiam debet tangere, in quo est verus sensus tactus. Et ita si medicus accedat ad ægros, sive sit rupta cutis, sive non, sive notabiliter, sive non, considerata causa si fortis sit statim prima hora aperiat cutem usque ad os,

triangulariter ſive quadrangulariter, ut cognoſcat ægritudinem, ſine cujus cognitione non curantur ægri. Etſi differat hoc opus, poſtea tum ex inobedientia ægri, tum ex timore forte aſtantium, vel alia cauſa non audet medicus aperire, & cranium detegere, & poteſt alius medicus ſuperveniens eum recte corripere. Et quia hæc ægritudo eſt acuta vel forte peracuta quæ non dat indutias, quanto citius popoteſt aperiri, aperiatur, & ego laudo quod hoc fiat in prima hora, quia tunc æger parum ſentit, ob cauſam quam ſcit quilibet, etiam quia poſtea medicus poteſt operari modo libero & convenienti, & non prolongabitur ægritudo. Et ſi ſecus fiat, forte accidet mors, & hoc pluries contingit. Et non ſolum medicus debet eſſe ſolicitus & celer in operationibus capitis, ſed omnium aliorum membrorum, quia ſi talis operatio poſt-ponatur, licet alia remedia fiant, nequaquam tamen proſunt, ſi talis operatio ut præmittitur neceſſaria judicatur. Et ut inquit Galenus v. ingenii cap. xv. tales medici ſunt ſimiles cuidam nautæ negligentiam ſuæ navi præſtanti, uſque dum frangitur, deinde dat unicuique tabulam jubens uti adjuvent ſe quatenus per eam poſſint evadere mortem. Hanc ſententiam ponit etiam Meſue, cum in-

inquit: *Per omnia, ô tu corporum curam gerens, auxiliari ne differas, quia ſemel pereunti nulla deinde ſuffragia proſunt.*

Audacter ergo quilibet aperiat, & detegat cranium: quia ex ejus detectione nullum ſequitur noculentum: ſed aperitur via ad operandum quocunque opere volueris operari, & trapanando, & raſpando, & extrahendo oſſa, & in omni negocio perficiendo. Nam cutis capitis eſt cum pauco ſenſu, exceptis partibus lateralibus & fronte, in quibus ſunt muſculi notabiles, quæ cutis ſi incidatur, paucum infert nocumentum, & cito ſaneſcit, ut inquit Celſus cap. de cura calvæ, *Nec tamen magno negocio cutis ſaneſcit, etiamſi in fruſta diſſecta ſecta eſt.* Tutius ergo eſt incidere cutem, & detegere cranium ſuſpectum, & etiam in fronte & in temporibus ſi contingat, cum cautela tamen, ſcilicet ſecundum longitudinem muſculorum, conſiderata tamen ægri virtute præ cæteris aliis conſiderandis. Nec ſit ex verbis meis aliquis audax nec temerarius, ſed menſuratis menſurandis tutè detegatur cranium.

Et hoc ſufficiat quantum ad ſigna cranii, ſed ubi de cura dicemus, dabimus etiam modum cautè procedendi in cranio & infra cranium, auxiliante nobis qui trinus & unus eſt.

Cap II.

Verum percusso capite in una parte rumpatur os in opposito.

SEd antequam ulterius procedam, dubitatur utrum percusso cranio in una parte, possit fieri ruptura in opposita parte: super quo dubio diversas reperio opiniones. Primo Celsus loco prænominato, tenet quòd sic, & expressè ponit hanc literam: *Solet etiam evenire, ut alterâ parte fuerit ictus, & os altera fiderit: itaque si graviter aliquis percussus est, si mala indicia subsecuta sunt, neque ea parte qua cutis discussa est, rima reperitur, non incommodum est, parte alterâ considerare, non quis locus mollior sit & tumeat, eumque aperire, si quidem os fissum reperietur.*

Sunt multi moderni qui volunt Avicennam hoc idem sensisse cap. de fractura cranii illo verbo: *Et ut curetur fractura oportebit ut findatur à cute cum quantitate qua non retineatur virus, nisi fueris securus de additione apostematis, & inveneris apostema ruptum, & appareat fractura una: quandoque enim accidit inde error magnus, putatur enim quòd non sit fractura nisi illa &c.*

Mul-

Multi alii moderni ſunt ejuſdem opinionis, quòd percuſſo cranio in una parte, fit fractura in oppoſita, & inter alios eſt Nicolus Florentinus, qui recitat hiſtoriam, ſe vidiſſe quendam funaiolum, qui percuſſus fuit cum clavo in dextro tempore, & facta apertione cranium non erat fractum ibi, in vigeſimo autem die ſupervenit ei rigor & febris, in die autem xxiij apparuit livedo in oppoſito tempore, & mortificata eſt ibi caro, & facta amotione illius carnis, repertum eſt cranium fractum: ille tamen mortuus eſt.

Nota tamen quòd prædictæ opiniones non negant ſi cranium rumpatur in oppoſito percuſſionis quin poſſit rumpi, & in loco percuſſo, & in loco ſibi oppoſito: quia ſi concedatur oppoſiti oſſis fractura, tanto plus in loco prius contuſo poteſt eſſe fractura, & hoc planum eſt cuicunque ingenioſo & experto.

Oppoſitas opiniones reperio contra prædictas, ſcilicet quòd percuſſo cranio in una parte in oppoſita non poſſit fieri fractura. Quorum omnium fundamentum ſumitur à Paulo vi ſuæ chirurgiæ, cujus opinionem recitat ille ſubtiliſſimus Dinus de Garbo, & Gentilis de Fulgineo exponentes tractatum Avicennæ de fractura cranii quinta quarti, tractatu tertio, cap. primo, ſu-

per verbis Avicennæ immediate â me adductis.

Et etiam hujus opinionis est magnus Guido de Cauliaco. Et multi alii. Gentilis tamen titubat, dicens se habuisse à fide digno contrarium. Et rationes Pauli sunt hæ: quòd cranium non potest rumpi eò modo quo vasa vitrea, nec eo modo quo cucurbita sicca: primo, quia cranium non est ita frangibile nec ita siccum sicut ea, nec ita vacuum sed durius ac solidius, & cerebro plenum. Et quod plus est (& hæc ratio fortior est aliis) non est continuum, sed commissuris divisum, distinctum & separatum. Et ita revera hæc ratio concludit, scilicet quòd ab una commissura ultra aliam nunquam transibit ruptura. Et hoc constat cuicunquè experto, quòd percussa quacunque parte alicujus corporis contigui nunquam transibit à parte ad partem læsio, tacta una parte tantum.

Visa igitur inter tantos lite & controversia, non quòd meum sit inter ipsos componere lites, dicam tamen quid de hoc sentio.

Et primo dico, magnam esse Celsi authoritatem, & illi satis credendum, quia antiquissimus est author & magni ponderis, hic post Hippocratem ex primis est. Ejus tempore alia medicinæ adhibebatur

cu

cura, quàm nostris temporibus, & maximè parti chirurgicæ, ut testatur & noster Rasis, & Averrois, & magnus Albucasis: dicunt enim majorem partem chirurgiæ periisse, & eam esse prostratam tempore suo. Ex hoc infero ante eos fuisse optimos medicos, quorum nomina in hac arte recitat pro parte Celsus libro sua VII. capite primo, ubi recitat conditiones chirurgici, & qui in ea claruerunt. Et tempore Celsi erant optimi chirurgici: & quamvis prædictorum tempore esset in manibus stolidorum, tamen etiam Avicenna, & Rasis, & Averrois, non dedignati sunt de ea tractare, sicut de potione & de diæta, nam diæta, & potio indigent chirurgiâ & econtra, teste Galeno in libro qui introductorius medicorum dicitur c. x. ubi inquit: *curativa vero in diatâ, chirurgiam, & pharmaciam; diata quidem est ductio diaphoreticorum & compositorum, & digestivorum, assumpta in omnibus ægris, dominatur vero in febricitantibus; Chirurgia vero est pars curativa per incisiones, & adustiones, & eas quæ circa ossa articulationes sanans homines: Pharmacia vero est pars curæ per nuda pharmaca intrinsecus & extrinsecus passiones sanans, indigens quidem alterutra, Diata, quandoque autem & chirurgia egens, sicut & Chirurgia utitur Diata, & Pharmacia*

 &c.

&c. Hanc opinionem tenet quoque Celsus: Inquit enim de chirurgiâ hæc verba: *Ea non quidem medicamenta nec victus rationem omittit, sed manu plurimum præstat: est que ejus effectus evidentissimus inter omnes medicinæ partes; siquidem in morbis cum multum fortuna conferat, eademque sæpe salutaria sæpe vana sint, potest dubitari secunda valitudo medicinæ, an corporis beneficio contigerit: in his quoque in quibus medicamentis maximè utimur, quamvis profectus evidentior est, tamen sanitatem & per hæc frustra quæri, & sine his, sæpe manifestum est: sicut in oculis deprehendi potest, qui à medicis diu vexati, sine his interdum sanescunt. At in ea parte quæ manu curat evidens est, ut aliquid ab aliis adjuvetur, hinc tamen plurimum trahere. Hæc autem pars cum sit vetustissima, magis tamen ab illo omnis medicinæ parente Hippocrate quàm à prioribus exculta est.* Vides lector his verbis quid sit chirurgia, & quantum valeat, & cui parti medicinæ magis credendum. Sed credo ego, chirurgiam postponi propter labores in ea contentos, & quia pauci audent tractare requisita in ea, & talia non sunt sine nausea & abominatione; & de hoc satis dictum sit alibi. Latius de hoc.

Danda est etiam fides Gentili, ubi dicit se à fide digno habuisse per experientiam contra opinionem Pauli Di-

Dicam tamen quæ mihi in hoc occurrunt: & dico, quòd magis ego crederem Paulo & Dino & Guidoni & ſequacibus quàm aliis. Nec dico authoritatem Avicennæ eſſe in favorem eorum, qui dicunt Avicennam dicere, cranium rumpi in oppoſito contuſionis. Sed implicita eſt illa authoritas, & poteſt in eos retorqueri, ut expreſſe declarat Dinus. Inquit enim Dinus quòd Avicenna in illa litera ſcilicet: *Et aliquando accidit error magnus, putatur enim quòd non ſit niſi fractura illa:* intelligit, quòd interdum rumpitur cranium in aliqua parte propter aliquam contuſionem, & non ſolùm eſt una fractura ſed plures; tamen non eſt manifeſta niſi illa, & ſic oportet aperire locum contuſum, quia interdum ſunt plures una, ſed non ſunt oppoſitæ, nec multum diſtantes, ſed aliqua earum eſt manifeſta à re contundente, & lacerante cutem, quæ eſt talis & tanta quòd apparet fractura una, tamen ibi prope ſunt aliquæ aliæ occultæ & in iſtis caſibus debet medicus conſideratâ magnitudine cauſæ, aperire & plures fracturas inveniet. Et hoc ego in actu practico pluries ac pluries feci, & prænarrata vidi: ideo concurro in hoc cum Dino ad expoſitionem literæ Avicennæ. Nec ſolùm hoc contingit, quòd ſint plures fracturæ, ſed

una

una ſola quæ ſatis eſt longior & major quàm fiſſura quæ eſt in cute: ideo optimum eſt ſemper ampliare fiſſuras & in latum & in longum, & ita operator fugiet errores & ſupervenientium medicorum calumnias, & ægro ſuccedet quantum erit in medicina laudabilis finis.

Ad rationes adductas per Paulum, recitatas à Dino & à Gentili & ab aliis, dico: quod ratio ſiccitatis & continuitatis & vacuitatis in vaſis vitreis & in aliis corporibus concludit, quamvis ſint plena vento vaſa illa poſſe rumpi in oppoſita parte, & in quacunque parte remota ſive propinqua: ſed ratio contigui concludit totum oppoſitum ſtante vera contiguitate, ſive talis contiguitas ſit in corpore plano ſive in curvo: ſed reperiuntur aliqua capita quæ veræ ſunt contigua, diviſa ſuis commiſſuris, ſed aliqua reperiuntur quæ ſunt continua vel quaſi, ut ego pluries vidi mortuorum capita in cæmiteriis exiccata, aliqua enim ſunt in quibus diſtinctæ patent commiſſuræ, aliqua in quibus cum magna difficultate videntur. Et ſi ſimilibus capitibus contingat fieri contuſionem gravem, credo & pono pro poſſibili, fieri rupturam in oppoſita parte. Verum eſt, quòd operantium tanta eſt ignavia, quòd unum interdum pro alio capiunt, ut ego vidi ter

ut

ut supra dixi illum modum læsionis in capite scilicet quòd inter commissuras contunditur panniculus versus oppositam partem, qui postea aggregat materiam, & hic loci fit tumor & medici ibi inveniunt saniem & carnem corruptam & rimam commissuræ, & credunt esse rupturam causatam prima contusione, & ita multi alii medici secum decipiuntur qui pauca considerant & pauciora sciunt.

Contingit etiam interdum quod aliquis percutitur in una parte cum lapide, ligno vel alia re gravi, & in ea parte non rumpitur cranium, & sic forte ille cadit ad terram in opposita parte, vel obviat cum capite in parte opposita parieti, vel alteri rei, & rumpitur cranium in opposito non rupta cute, postea vel statim, vel ad tempus manifestatur ea ruptura, & multi dicunt quod cranium est in opposito ruptum à prima contusione manifesta. Et in hoc multi decipiuntur, & forte aliqui de supradictis decepti fuere. Non nego possibilitatem, sed dico esse perdifficile, & dico quod multotiens dicunt medici fracturam esse in opposita parte, & dicunt purum mendacium: quia multi ad hanc artem accedunt qui ignorant prima elementa medicinæ.

CAP. III.

Signa, an panniculi ſint ſoluti.

Viſis ſignis cranii fracti, ſecundo loco dicendum eſt de ſignis panniculorum, ſi panniculi ſint inciſi, vel perforati, vel ab oſſe lacerati, puncti, & diſrupti; de apoſtematibus eorum, & quando gravantur à cranio, & læduntur à materia defluxa, loco ſuo dicemus.

Signa ergo læſionis panniculorum ſunt hæc, ſcilicet ſi panniculi ſint perforati, inciſi, & lacerati, fit dolor notabilis capitis fixus, & intra caput & dolent oculi, & ſimul cum percuſſione, vel parùm poſt, venit talis dolor, & natura doloris eſt quod ſit pungitivus, & fixus & accidit vomitus choleræ, quis illa eſt magis nobilis: & hoc accidit per compaſſionem ſtomachi ad cerebrum per illos notabiles nervos deſcendentes, teſte Galeno tertio interiorum c. VII. Inquit: *quod ſtomachus ſequatur in paſſione caput, & caput ſtomachum, cauſa eſt magnitudo nervi deſcendentis à capite ad os ſtomachi: & propter hunc nervum os ſtomachi ſenſibilius eſt omnibus membris corporis, ideoque etiam ſemper ſequitur capitis fractu-*

ram,

ram, qua venit usque ad pelliculas cerebri, cholericus vomitus, & plurimùm sequitur passionem capitis qualiscunque fuerit vomitus. Et interdum fit colica propter eandem causam, & universalis intestinorum dolor: quia omnia intestina sensum habent à nervis prædictis, & appetitus dejectio, & digestivæ & expulsivæ debilitas, & omnium virtutum simul, propter eandam causam, & oculorum rubedo: tunicæ enim oculorum ortum habent à panniculis cerebri, & venit febris ex dolore quæ est ephemera ex agitatione spirituum animalium in cerebro, maxime si læsio est notabilis, & quod subito accidat febris; potest tamen evenire & putrida febris, sed non ita subito ex putrefactione alicujus materiæ vel in venis, vel etiam extra venas, sive sit in capite, sive alibi. Et pustulæ in facie accidunt ex humoribus ad eam elevatis, & sanguis ab auribus à palato & à naso fluit, & etiam interdum exit sanguis é partibus sub osse contentis, ab aliquâ venâ in panniculis læsa, & apparet nigredo linguæ, & etiam singultus, quod est pessimum signum.

Et hæc accidentia sunt majora & minora, secundum magnitudinem & parvitatem læsionis; & etiam secundum panniculum, quia majora sunt accidentia, læsa

pia

pia matre quam dura: & ſecundum locum læſionis, quia ſi lædantur iſti panniculi in loco in quo ſunt notabiles venæ in panniculis, (quòd difficile eſt aliter fieri, maximè in pia matre) à venis illis exit ſanguis qui putrefit, & facit ſæva accidentia. Et etiam raro læditur pia mater quin lædatur cerebri medulla: ideo ſequuntur apoplexia, deſtructio vocis, & rationis: quia læſa pia matre patitur totum cerebrum. Nam pia mater pro majori parte fit ab arteriis & venis, per quas arterias deferuntur ſpiritus vitales in reti mirabili præparati, ſive, ſecundum aliquos, facti animales. Et hæc pia mater non ſolum tegit cerebrum extra & illud nutrit, ſed etiam intra ventres ejus ingreditur, & per orificia arteriarum ejus ingreditur ſpiritus prædictus ventres cerebri. Hac de cauſa accidit deſtructio rationis & ſcotomia. Et accidit in iſtis vulneribus tremor & rigor, quia contrahitur in ſe cerebrum, fugiens & expellens nocitivum. Et ex eadem cauſa fit ſpaſmus quamvis etiam ſpaſmus fiat à materia tranſmiſſa ad nervos, qui ſpaſmus eſſet de repletione, ſed poteſt eſſe etiam ſpaſmus non proportionatus ad materiam: & uterque ſpaſmus poteſt in brevi tempore ſupervenire, & ita etiam fit paralyſis & tortura, & ſtupor membrorum à materia tranſmiſſa ad illas partes. No-

Nota quod Avicenna prima tertii dicit, *quod accidit laxitas in latere vulneris, & ſpaſmus in oppoſito ut in pluribus*, tamen dico quod contingens eſt evenire oppoſitum, ſcilicet in parte læſa ſpaſmum, in oppoſita autem paralyſim. Item contingens eſt evenire unum tantum & non aliud, nec horum aliquod, ſcilicet nec ſpaſmum nec paralyſim.

Sed cauſa propter quid accidit ſpaſmus in oppoſita parte, & paralyſis in eadem, eſt: quia pars propinqua vulneri eſt magis debilis, ideo relaxatur quia non poteſt contrahi, oppoſita vero poteſt contrahi.

Item alia eſt cauſa, quia ad partem læſam currit major materia & ſubtilior quia primo movetur ad partem debilem poſtea ad fortem. Et ſubtilior eſt mobilior, ideo citius ad partem læſam currit, & ſic mollificat: groſſa autem oppoſitam partem ſpaſmat.

Et accidit apoplexia à materia oppilante ventres cerebri: & ſyncope ex compaſſione cordis, cor enim compatitur cerebro, & econtra.

Hæc omnia ſigna veniunt ſubito vel quaſi, ſi panniculi ſint læſi, ut ſupra. Si vero iſti panniculi eſſent contuſi inter commiſſuras exeuntes, quia dura mater

est ibi, talia accidentia sunt debilia, & veniunt ad notabile tempus tardius & citius, secundum magnam vel parvam læsionem, & secundum corpora munda & immunda, fortia & debilia, & secundum tempus anni, secundum ætatem, & secundum regionem, & secundum regimen rerum non naturalium, & secundum modum curæ adhibitæ.

Sed accidentia, quæ sequuntur ad prædictam contusionem inter commissuras, non sunt per contusionem tantum, sed sunt etiam per putrefactionem panniculi læsi, vel quod aliunde illuc transmissa est materia, quæ non regulata à natura putrefit, & per modum continui se ipsam augmentat, quia quod tangitur à putrido putrefit, & cum venit ad certam quantitatem determinatam, incipit febris & alia accidentia, & tandem sequitur mors nisi cito succurratur quamvis etiam tunc sit difficile succurrere, & dato etiam quod res à principio esset nota, & esset talis ut supra: sed tanto plus est difficilis, quantum est occulta sensibus, & non cognoscitur hoc, nisi jam facta sanie in loco, à principio enim est occulta, & nescit medicus quid agere, nec ubi agere debet, quia ignorat ægritudinem & locum. Et talis species læsionis est inter

alias mala & difficillima ad cognoſcendum. Adſunt etiam vigiliæ, & anguſtiatur æger, & eſt totus proſtratus.

Hæc ſunt ſigna læſionis panniculorum; tamen interdum talis & tam magna eſt fractura cranii, quod medicus non ſolum iſtis ſignis cognoſcit læſiones panniculorum, immo certificatur viſu & tactu.

CAP. IV.

Signa cerebri ſoluti.

SIgna læſionis cerebri ſunt eadem quæ ſunt de læſione piæ matris, addito hoc, quod exit medullaris cerebri ſubſtantia: quamvis ſit poſſibile quod cerebrum ſit læſum, maximè à re ſubtiliter perforante, vel à re incidente ſuperficialiter & diminutæ tamen, & non exeat aliqua pars medullæ cerebri; exit tamen in pluribus, & teneas hoc eſſe cerebrum, ſi exit aliqua ſubſtantia alba quæ appareat medulla: quia non poteſt eſſe niſi cerebrum, & maximè ſi exit in primis diebus ante tempus generationis ſaniei: quia interdum aliqui dicunt cerebrum exire à vulnere, & eſt forte ſanies. Non negamus quin & poſt notabile tempus, & etiam tempore quo adeſt multa ſanies, poſſit exire ſubſtantia

cerebri: quia circa 13 diem vidi ego substantiam cerebri exire, & etiam supervixit ille.

Dico præterea, quod hæc signa à doctoribus scripta, habent veritatem in pluribus; tamen vidi ego læsionem in panniculis & etiam in cerebro, & non fuit febris, neque aliquod malum accidens, ut latius dicemus, quando de prognostico sermonem faciemus.

Prædicta signa sunt quando cerebrum læsum est à re incidente, contundente, & perforante, cum manifeste cerebri & cranii læsione, & etiam cum occulta.

Cap. V.

Signa cerebri Commoti.

SEd quia interdum etiam contingit cerebrum lædi aliter, ut supra de speciebus læsionis capitis diximus, scilicet quod cerebrum à casu ab alto, vel contusione vel alio modo concutitur, vel movetur, & aliqui nervi in eo rumpuntur, vel aliquæ venulæ, ideo hîc de isto modo læsionis signa ponere intendo.

Et dico quod interdum contingit cerebrum moveri & agitari à causis prædictis non rupta cute nec cranio, vel interdum

cute & non cranio, & rumpuntur aliqui nervi cerebri, & ſecundum nervos ruptos accidunt membris, ad quæ vadunt tales nervi, diverſa accidentia. Sunt enim ſeptem paria nervorum, quorum aliqui vadunt ad oculos, aliqui ad linguam, aliqui ad aures, aliqui ad ſtomachum, & aliqui ad inteſtina omnia, ad dandum ſenſum his membris (vel ſaltem ad panniculos eos tegentes) & epati, & ſpleni, & aliis membris, prout notum eſt in bona anatomia: & de iſta læſione nervorum mentionem facit. Gal. 7. aphor. commento 58. ſicut ego ſupra ipſum adduxi, cum de iſta ſpecie læſionis ſermonem faciebam. Et ſignum hujus læſionis ponitur à Galeno loco præallegato, dum dicit, *quod iſti efficiuntur ſine voce ſtatim*. Et ſic ſi ad manus tuas adveniat patiens qui loquelam ſubito amittat, & qui percuſſus fuerit à re potente movere cerebrum, vel quod ceciderit ab alto, cum conditionibus quæ te perſuadeant ipſius cerebrum potuiſſe pati, etiam non rupta cute, vel rupta cute & non cranio, vel etiam fracto cranio: firma judicium tuum ſub hoc, quod cerebrum poſſit eſſe motum viſis malis indiciis, non ſolum de amiſſione vocis, ſed etiam poſſunt evenire omnia accidentia prænarrata, quamvis ſubito non eveniant, & ita non ſolum

judicabis rupturam aliquorum nervorum prædictorum, ſed forte rupturam alicujus venulæ panniculis contentæ.

Sed non ita cito veniunt accidentia venæ ruptæ ſicut nervorum ruptorum, ſed veniunt eo tempore quo ſanguis incipit poſtea ſub oſſe putrefieri, tardius & citius ſecundum quantitatem ſanguinis & etiam ſecundum locum: quia ſi inter cranium & duram matrem tardius veniunt accidentia, quam ſi inter duram, & piam, & tardius inter piam & duram matrem quam inter piam matrem & cerebrum, cauſas non recito, quia per ſe notæ ſunt.

Et iſta ſpecies læſionis eſt difficilis cognitionis tamen poſſibilis, maximè per expertos, conſiderata ægritudinis eſſentia, & cauſa, & accidentibus: ſed difficilior eſt cura, quia medicus fortè neſcit locum ſanguinis, & ſaniei, & neceſſario deſiſtit à rationabili cura & ſic moriuntur pauperes ægri. Quod ſit difficilis curæ hæc ſpecies teſtis eſt Serapio primo breviarii cap. de ſoda à percuſſione; inquit: *Et quando homo cadit ex loco alto, forte accidit ut diſrumpatur aliqua ex partibus cerebri aut retis quæ dicitur ſecundina, & ſoda quæ accidit in ea eſt difficilis ſanationis.*

Tamen ſi datur, curandi ratio talis eſt, ſcilicet quod totum caput medicinis debi-

tis

tis tegatur, ut latius dicemus quando de cura fiet sermo, quia ignoratur determinatus locus saniei ut prædixi, & etiam nervorum ruptorum ut plurimum.

Similiter ignoratur proprius locus in multis aliis capitis dispositionibus teste Galeno interiorum cap. 3. Inquit: *similiter nullam significationem inveniemus locum infirmum ostendentem in melancholia, in mania, in epilepsia, in lethargo & in stupore quem moderni medici dicunt congelationem in spasmo, & in titillatione, in quibus omnibus nullam significationem invenimus esse quasi fundamentum passionis, nec duritiem, nec tumorem, nec dolorem, nec caloris pristini mutationem, nec aliqua de corpore egredientia &c.*

Adverte lector, quod accidentia prænarrata in læsione panniculorum & cerebri possunt fieri à sanguine putrefacto sub cranio secundum loca ad quæ vadit, & secundum quantitatem: ideo non mireris etiamsi non læsis panniculis nec cerebro, sed solum à venis ruptis, vel fortè nervis, accidant prædicta accidentia, quia etiam possunt accidere multa ex accidentibus prædictis non læsis panniculis nec cerebro, & maximè si contingat saniem aliquo modo descendere à superioribus per rimulam ossis, vel forte per porositates ossis resudare

ad intra cranium, maximè quando ſanies non habet à vulnere liberum exitum. Et hoc ego vidi in actu practico anatomizando capita mortuorum à ſimili caſu, non rupto cranio, nec panniculo aliquo læſo: à ſanie enim deſcenſa per poros cranii ſupra panniculos cauſatur febris & rigor, & vomitus & ſingultus, & alienatio, & alia accidentia ſimilia prædictis, per compaſſionem membrorum inferiorum ad cerebrum & cerebri ad panniculos, propter ſaniem eos corrumpentem, & putrefacientem & tandem mors ſequitur.

Sint ergo medici diligentes, & prudentes, & ſoliciti, quia periculum eſt in mora, & non dedignentur ſæpe viſitare ægros, quia per longam moram cum eis veniunt in cognitionem ægritudinis, & conſequenter quoque curæ. hæc ſufficiant pro ſignis commoti cerebri.

Cap. VI.

Signa cujuſlibet malæ complexionis capitis.

Alio loco de mala complexione cujuſcunque modi, & de apoſtematibus cerebri, & ejus panniculorum, dicendum eſt.

Di-

Dico igitur quod ex contusione, perforatione incisione in capite, diversimode tamen factis & diversis temporibus & secundum individua munda & immunda, debilia & fortia, & secundum eorum regimen tam præsens quam præteritum, & modum medendi exhibitum, accidunt capiti malæ complexiones, & consequenter apostemata & alia accidentia has ægritudines necessario sequentia: quæ medicus totis viribus tenetur prohibere, ut inquit Avicenna; *nam de melioribus rebus quas intendimus in cura vulnerum est eorum apostemationem prohibere.*

Sed antequam fiat de apostematibus sermo, dicamus de mala complexione calida & frigida, sicca humida, materiali & immateriali, capiti contingente.

Et dico quòd accidunt solutionibus capitis malæ complexiones omnium modorum, licet rarius frigidæ, materiales & immateriales: & eodem modo, apostemata cerebri & panniculorum omnium modorum, rarius tamen apostemata frigida contingunt quam calida; & ratio est duplex, primò: quia humores calidi sunt subtiles & primò mobiles frigidi verò econtra: & quia potest fieri apostema in membro solido cujus porositates sunt angustæ, & materia grossa est inepta figi; ideo fre-

quentius fiunt apoſtemata calida quam frigida: ut etiam contingit de pleureſi, quæ raro fit à materia frigida. Interdum tamen fiunt apoſtemata frigida in capite, & maximè in complexione apta ad hoc, licet non ſint verè frigida, ſed mixta, *quia raro datur apoſtema ſingulare;* ut inquit Princeps tertia quarti cap. de apoſtematibus in univerſali.

Sæpè tamen accidit capiti mala complexio calida vel frigida, ſicca vel humida, immaterialis & cum materia, ſine apoſtemate, in capitis percuſſione, & frigida ut plurimum accidit ex aëre frigido illam introducente, & hoc eſt ex parte regionis vel ex parte malæ cuſtodiæ, & inertiæ ægri, & aſtantium, & interdum ex parte impotentiæ ægrotantium, qui non habent loca clauſa & calida prout requirit anni tempus: quæ mala complexio introducta eſt cauſa apoſtematis, & eſt tanquam cauſa efficiens apoſtematis. Unde ſi quæratur; Quæ ergo eſt mala complexio quæ eſt in apoſtemate, cum non detur apoſtema ſine ægritudine ſimilari? dicitur: quòd eſt alia mala complexio introducta: quia primò in apoſtemate currunt humores qui ſolvunt continuum, & materia ibi retenta (quamvis etiam eſſet laudabilis in quanto & quali) acquirit ebullitionem, quia eſt ex-

extra venas & non ventilatur, & ſic cauſat malam complexionem; vel fortè, quod materia eſt talis, ut ex ſe ſine ebullitione inducat malam complexionem, & etiam cum ebullitione. Sed de hoc infra. Et ſic una mala complexio erit tanquam cauſa, & alia erit ægritudo integrans apoſtema.

Signa igitur malæ complexionis calidæ ſine materia ſumuntur à cauſa primitiva ut plurimum; quia ſæpe inducitur qualitas calida ab aëre accidentaliter calido ultra debitum, vel quia tempus, & regio valde calida ſunt; vel caput tenet calidis pannis tectum, vel ab aliqua medicina valde calida locali applicata, ut hodiernis temporibus faciunt aliqui imperiti cum aqua vitæ, compoſita ex diverſis calidis ſimplicibus infuſis & cum illa diſtillatis: vel cum emplaſtris & unguentis calidis indebite approximatis: vel ex ira & aliquibus animi paſſionibus: vel ex motu corporis: vel quia actu medicinæ debito calidiores approximatæ ſunt Et hoc contingit in complexione calida de facili, & tardius & citius, ſecundum cauſarum concordantias.

Habitis iſtis cauſis apparet etiam ad ſenſum caliditas faciei & totius capitis. Adſunt etiam vigiliæ, ſitis & oculorum immobilitas, & omnium animalium operationum agilitas, niſi ſit quod impediat.

In-

Inquit Avicenna prima tertii cap. xix. *Ipſam ſignificant inflammatio, & privatio gravitatis, & vigiliæ & inquietudo in motibus, & permutatio in imaginationibus, & agitatio, & velocitas in ira, & rubedo oculorum, & juvamentum ab infrigidantibus, & nocumentum à calefacientibus.*

Signa autem qualitatis frigidæ ſunt ſibi oppoſita, & in totum contraria, niſi quod adeſt gravitatis privatio; unde Avicenna ubi ſupra cap. 11. inquit: *Sentitur frigus cum privatione gravitatis, & pigritia & tepiditas, & albedo coloris faciei & oculi, & diminutio in imaginationibus, & declinatio ad timoren, & juvamentum à calefacientibus, & nocumentum ab infrigidantibus.*

Signa vero ſiccæ complexionis ſine materia, eſt levitas & anteceſſio evacuationum, & exiccatio narium, & multa vigilia.

Signa vero malæ complexionis humidæ ſine materia: adeſt pauca gravedo, & pigritia, & tepiditas tactus, & quod effluit eſt paucum, adeſt oblivio & ſomnus multus.

Si vero iſta ſunt mixta ſigna ſunt mixta ſecundum qualitates prædictas, & illas indicabit qui eſt boni judicii, ideo ſilentio tranſeundum putavi.

Scias tamen volo lector, quòd omnia

nec

nec possunt scribi, nec licet, quia legentes tædio afficerentur, nec hæc ignaris scribimus, sed eis qui alios viderunt authores, & qui naturali pollent ingenio. Inquit Damascenus: *ingenium naturale adjuvat artem & naturam regentem.* Istis ergo signis sint contenti legentes, & ad alios transeant autores, de labore tamen nostro secundum merita gratiam inferant.

Signa autem malæ complexionis panniculorum & cerebri, omnium modorum, cum materia, sunt ferè eadem cum signis apostematum.

Avicenna ubi supra cap. XXIV & XXV de signis dominii materierum calidarum, inquit: *Cholericæ quidem: gravitas non superflua, & mordicatio, & inflammatio, & adustio vehemens & siccitas, & strictura narium, & sitis, & vigilia, & citrinitas coloris faciei, & oculorum rubedo. In sanguinea: augmentum gravitatis, & fortasse pulsatio, & inflatio faciei & oculorum, & exuberatio venarum, & fortis somnus.*

At de signis materiæ frigidæ est frigus sensatum, longitudo læsionis, & assiduatio ejus, paucitas rubedinis faciei, oculorum pigritia & tepeditas, albedo faciei & oculorum, pravitas citrinitatis cum gravitate sensata. Sed in materia phlegmatica major est pigritia, & subet fortis, & obli-

livio, & plumbeitas coloris in facie & oculis; In malancholica: gravitas minor & vigiliarum plures & alienatio & cogitatio corrupta & tenebrositas oculorum & faciei.

Et ita etiam, si materiæ sunt mixtæ signa sunt mixta, & signa dominantia arguunt etiam materiam dominantem, ut infra de apostematibus dicetur.

Cap. VII.

Signa apostematum interiorum capitis.

SEd apostematum signa, incipiendo à calidis, sunt hæc: continua febris, cujus calor non multùm fortis est sub tactu, secundum Haly in nono Theoricæ c. 3. sed tranquillus & mediocris facies & caput calidiora reliquo corpore tactu, & mentis alienatio, & vigilia, & nonnunquam somnus accidit à quo excitantur cum clamore & saltu, & lingua nigrescit, & est aspera, & de vestibus quasi legunt aliquid propter phantasiæ corruptionem, nonnunquam lachrymantur oculi, quandoque ophthalmici quandoque sicci. Sed signa prædicta sunt ut supra, & maximè febris, si aliquid phlegmatis sanguini vel choleræ, vel utrisque mixtum est.

Cui

Cui autem ſanguineum accidit apoſtema, inſunt prædicta accidentia cum riſu, ſopore, & oculorum dolore, & garrulitate, & ineptia, & febris eſt intenſior, & faciei color rubeus. Cum vero ex cholerico humore, faciei color ad croceum declinat, & inſania comitatur, & ſaltus, & caloris tactus eſt acutus & pungens. Si vero ſit aliquid melancholiæ illi mixtum, fiunt ineptiæ ac garrulitatis copia timorque & fletus. At ſi adeſt notabilis phlegmatis admixtio, fit obſtupefactio non continua. In iſtis tamen omnibus pulſus eſt debilis parvus & durus, & varietas multa anhelitus, & ſpiritus quandoque anguſtia ſequitur, & ſubverſio ſtomachi, & tument ad ſenſum panniculi, & exeunt per fiſſuram cranii colorati colore materiæ, & efficiuntur immobiles.

Apoſtema vero frigidum capiti eveniens eſt à prædominio phlegmatis ſicut calidum à prædominio ſanguinis & choleræ, & lethargia vocatur à nomine accidentis eam ſequentis. Hujus ſigna ſunt febris modica debilis & non acuta, ſtupefactio & ſopor, & ægri non reſpondent niſi vix & raro ſi interrogentur; eſt etiam illis oſcitatio multa & mentis confuſio, & ora eorum aperta ſunt tanquam claudere illa ſint obliti, aliquibus eſt ventris ſolutio phlegmatica,

&

& interdum constipatio ventris, & urina eorum turbida est ut asinorum, tremor extremitatum, & sudor, & facies livida & tumida, magnus pulsus & fluctuosus, ut peripneumonicorum, & anhelitus tardus & varius.

Inquit idem Haly, ubi supra; *quod obstupefactio ipsa accidit ex mala complexione frigida & humida, cerebro accidenti aut ex phlegmatica materia acutæ febris causa, vel percussione quæ lacertis facta est temporum, aut oppressione quæ cerebro accidit, aut à fractura ossium capitis aut laminarum quæ sub fracto osse ponuntur, cum istud curare vult medicus. Pervigilatio autem ex mala fit complexione sicca quæ cerebro accidit, aut materia melancholica aut cholerica.*

Sed per *obstupefactionem* hic author intelligit lethargiam à prædominio: *per pervigilationem* verò intelligit phrenesin. Et ita inquit, quòd interdum componuntur calidi humores cum frigidis, & humidi cum siccis: & sic signa sunt composita. Inquit: *cum vero quæ pervigilationem faciunt causæ cum obstupefactionem facientibus componuntur, passio inde oritur quæ coma vocata est, scilicet obstupefactio pervigil; & si phlegma amplius sit obstupefactio major est, si vero siccitas superat, pervigilatio erit major, cujus pervigilationis, sic compositæ signum est æger,*

quod

quod nec dormit nec vigilat oculi ſunt aperti, & mens confuſa, & omnino ſunt compoſita ex ſignis phreneſis & lethargia.

Avicenna Haly ſecutus eſt, de tali diſtinctione apoſtematum: nam prima tertii tractata ſecundo cap. 4. inquit: *apoſtema à quo venit ſoda, quandoque eſt in velaminibus cerebri & quandoque eſt calidum & vocatur ſirſin, & quandoque eſt frigidum, & nominatur lethargia, ſcilicet oblivio: & quandoque eſt compoſitum, & vocatur diſpoſitio habentis dormitionem, vigilativam & quandoque eſt durum, & quandoque fit in ipſo cerebro.*

Quod autem cerebrum poſſet apoſtemari, probat princeps contra Serapionem in multis locis, & maximè tractatu tertio, prima tertii cap. *de carabito ſive ſirſin, ſive phreneſis; idem enim eſt, quamvis ſecundum aliquos phreneſis magis denotet accidentia quam morbum.*

An autem carabitus & ſirſen ſit apoſtema panniculorum cerebri, vel ſubſtantiæ ejus, vel utriuſque vel alterius membri, vide Avicennam ubi ſupra: quia hic de iſtis multa proferre non eſt mea intentio.

Signa autem carabiti ſunt: ſcilicet quòd ſuperfluit alienatio, & quandoque abſcinditur: aliâ vice eſt abominatio loquelæ,

& pigritia ab ea, & permixtio intellectus: & plurimum horum circa quartum diem contingit; & in quinto extremorum frigus & agitatio: & spiritus agitatus inordinatus & magnus, & extensio ossium pectoris ad superiora, & tremor & saltus membrorum cum ipso prænunciat ipsum, & somnus inquietus quandoque, & excitantur ab ipso & clamant & quandoque vigilant & quandoque dormiunt cum phantasiis & somniis corruptis cum voce diversa, & sunt illic inverecundia, audacia, & ira: & abhorrent radios: & agitantur linguæ eorum, & quandoque apostemantur: & multoties abscinduntur eorum voces: & desiderant aquam & bibunt ex ea parùm, & eorum extremitates infrigidantur absque frigore extrinseco faciente hoc: & urinæ sunt tenues; & pulsus duri propter apostema in membro nervoso, interdum autem sunt magni, & frequentes, & diversi, & tremuli, & spasmosi. Præcedunt autem carabitum oblivio rei propinquæ, & tristitia sine causa, & somnia mala, & soda multa, & gravitas & repletio, & exiccantur oculi, deinde accidunt lachrymæ unius oculi tantum, & venæ oculorum sunt rubeæ, & quandoque inquirunt villos & colligunt clausis oculis, & accidit destillatio urinæ cum cogitatione ipsorum aut sine,

&

& oblivifcuntur dolores fi aliqui fint in membris ipforum, immo fi membra ipforum dolorosè tangantur non fentiunt.

Quod fi apoftema eft in anteriori parte capitis, corrumpit imaginationem, & tunc incipiunt colligere villos & paleas & fimilia, & imaginantur quæ non reperiuntur; fi in medio, corrumpit cogitationem; fi in pofteriori, oblivifcuntur ita ut quandoque petant aliquid quod fi eis præfentetur non recordantur fe quæfiviffe; fi autem apoftema fit fuper omnes partes, apparent hæc omnia.

Et fi cum eo apoftemetur cerebrum rubet facies & oculi, & exeunt oculi multùm, fi materia eft fanguis; fi vero eft cholera, ad citrinum tendunt. Et ita res apparent rubræ & citrinæ fecundum humorem prædominantem; Quod fi fit à cholera aduftâ eft illud quod perimit: figna autem funt quòd communitas accidentium ejus accidit cum dæmonio, odio, & rixa, & oculi funt conturbati.

Nota unum lector, quòd communiter doctores ponunt frigiditatem advenientem panniculo groffo five fit ex aëre, five applicetur actu, aliquid frigidum, caufare calidum apoftema, quamvis poffit caufare alia accidentia. Et hoc fenfit Rafis authoritate Pauli, l. xv, Continentis cap. 3. in

fine iſtis verbis *accidit apoſtema calidum panniculo groſſo ex oſſe pungente, & pondere pannorum, aut ligatura doloroſa, aut à frigore affligente, aut eo quod non attenuatur regimen, & ex potu vini.* Hoc quoque ſentiunt multi alii & maximè Avicenna, & cauſa poteſt patere conſideranti.

Superius de carabito ad mentem Avicennæ poſui ſigna apoſtematum calidorum in panniculis & in cerebro; nunc de ſignis frigidi apoſtematis ad mentem ejuſdem ſermonem facio. Et forte mirabitur aliquis quod ſim ita longus in ponendo ſigna talium apoſtematum, hoc tamen facio quia eſt magna utilitas in iſtis ſignis: benè enim cognità ægritudine illa facilius curatur. Pono autem tantum ſigna Haly & Avicennæ aliorum fugiens doctorum commercium, quia quidquid bene dictum eſt ab iſtis medicinæ patribus miro ordine & induſtria dictum eſt, & omnes alios excedunt in ſignis & cauſis; rogans quemcunque hoc opus noſtrum lecturum, ut non ſolum hæc ſigna à nobis poſita videat, ſed ad prædictos fontes recurrat, ubi inveniet ſermonem plenum de carabito, & de phlegmone, & eryſipelate cerebri, & quid ſit ſibare ſive dæmonium cerebri, & quid ſit lethargus, & quid ſit ſubeth aſahari, quod eſt apoſtema compoſitum ex calido & fri-

gi-

gido humore, quod apostema ab Haly suprà vocatur cuma: quia hîc de essentia talium ægritudinum nihil pono.

Signa igitur apostematis frigidi in capite, (licet raro contingat, tamen possibile est) sive à causa antecedente sive à primitiva, (à qua primitiva rarius contingit) sunt ista: primo est soda lenis & febris lenta *necessaria enim est febris ab humore putrefacto in cerebro*, inquit Avicenna, & propter hoc separatur à subeth.

Adverte lector, quod quamvis in apostemate phlegmatico vel alio morbo frigido non sit vera putredo, tamen hîc loci Avicenna videtur velle, quòd apostemata frigida phlegmatica, de quibus hic est mentio, sint à phlegmate putrefacto, prout ipse testatur prima tertii cap. de signis lethargiæ, inquit: *enim quòd est febris lenta & quòd necessaria est febris in omni apostemate ab humore putrefacto in membro principali, verùm est lenta quoniam ejus materia est phlegmatica.*

Vel vult, quòd in omni apostemate sit aliqua putredo quæ faciat febrem, maximè si apostema sit in membro principali, & hoc sensit Dinus *tertia quarti*, inquit enim: *quòd in omni apostemate etiam frigido est quædam caliditas præter naturalis propter conculcationem materiæ;* super illo Avicen-

næ verbo : *Et omne apoſtema aut eſt calidum aut non calidum*. Recurrant igitur ad Dinum, non tamen ubi ſuprà, ſed *in principio tertiæ quarti*, ubi diſtinguit quid ſit apoſtema & quomodo fiat apoſtema, & quid prius fiat in apoſtemate, an tumor an ſolutio continui, an mala complexio, ubi dicet, *quod propter conculcationem ultimo loco fit mala complexio*, quæ judicio cujuſcunque bene ruminantis erit calida per oppliationem ibi factam, quantuncunque ſit materia frigida.

Credo ego, quamvis ſit aliqua mala complexio calida modo prædicto in apoſtemate, quò etiam ſit mala complexio frigida à frigiditate humoris eam facientis; & ſic erunt duæ malæ complexiones in apoſtemate frigido, ſed, quia frigida eſt major, in cura illi magis eſt vacandum, tamen cura apoſtematis, in quantum eſt apoſtema, non eſt vacare malæ complexioni, maximè in materiâ frigidâ. Sicut in calida, puta in eryſipelate in qua materia ſubtilis eſt & pauca, magis vacamus qualitati quam quantitati; ſed in frigidâ, quia materia eſt groſſa, cura eſt extractatio materiæ apoſtematis, & hoc fit cum reſolventibus puris & mixtis, ſecundum tempora apoſtematis. Et ita, quantumcunque ſit pauca caliditas in membro tali quale eſt cerebrum,

necessario adest febris. Et ista est mens Avicennæ secundum aliquos in loco prædicto de carabito cum dicit, quòd necessaria est febris.

Cui opinioni adhærent aliqui cum testimonio Hippocratis, dum inquit: *si in ventrem sanguis effuderit necesse est putrefieri & in saniem converti:* qui volunt Hippocratem non solum intellexisse de sanguine, sed de quocunque alio humore non regulato à natura, qui statim incipit habere aliquem modum putredinis cum est extra venas, & maximè ubi est conclusus non habens eventationem, modò ibi non sit ordine naturæ, sicut in apostemate: alias enim haberet modum putredinis phlegma in stomacho & in intestinis & in juncturis, si esset conclusum & eventatione privatum.

Et sane si quidem in istis membris esset putredo talis ut prædictum est, non tamen est tanta ut possit causare febrem: quia ut efficiatur febris oportet ut sit notabilis putredo, vel in loco propinquo cordi, vel in loco quo facilè possit poni cor in calefacto esse: quia aliter non contingit febris nec continua, nec alterius modi. Et ita credo quòd in nodis & scrofulis sit aliqua putredo modo prædicto acquisita.

Et non est inconveniens, quod in uno

apostemate sint duæ malæ complexiones, puta in apostemate frigido: quia eo modo quo acetum dicitur calidum & frigidum, eodem possunt dici humores in apostematibus; & in veritate hæc est mens Dini loco præallegato.

Verum quidem est quod in apostemate valde duro, ad naturam lapidis converso, fit longè minor putredo, sed talia apostemata, non adveniunt panniculis neque cerebro. Quamvis Avicènna prima tertii tractatu lib. 2. cap. 4. dicat, quod apostema capitis quandoque est durum, quia noluit negare possibilitatem; nec forte quòd in illo sit aliqua febris: sed cap. de lethargia inquit, quod plurimum ejus fit in meatibus, id est anfractibus cerebri, absque quòd fit in velaminibus cerebri, propter rationes superius adductas: & quòd raro fit in substantia cerebri, quia est viscosa, densa, & humor phlegmaticus non potest penetrare corpus densum: tamen inquit, quòd est possibile ut veniat in velaminibus & in substantia cerebri. Et ego credo, quòd talia apostemata frigida non fiant nisi per modum paulatinæ congestionis, quia per modum defluxus non possunt fieri: si tamem fiant, (hoc erit per choleram illi mixtam, subtiliantem phlegma, & illud facientem penetrare; aliter non contingit hoc aposte-

postema per defluxum. Credo tamen, quòd etiam in cerebro sive per fluxum sive per congestionem, si fiat apostema quod possit esse tale, ut non adsit febris, considerata qualitate & quantitate materiæ, & loco & tempore apostematis, & considerato modo terminationis ejus. Hæc dixi gratiâ juvenum.

Et hæc quidem febris, sed in prædicto apostemate, quandoque non sentitur & & fit cum eo subeth gravis, & habet gravedinem in aperiendo & claudendo oculos & fit cum eo oblivio, & spiritus rarus, tardus, & debilis, & oscitatio multa, & singultus propter communitatem stomachi ad cerebrum, & albedo in linguâ, & tarditas in loquela & in motu palpebrarum, & permixtio rationis, & egestio humida, & urina sicut asinorum, & tremor & sudor extremitatum, & pulsus magnus, rarus, tardus, ac undosus, sicut in peripneumoniâ: minores tamen istis prædictis sunt pulsus in apostemate cerebri quam in peripneumonia, quoniam nocumentum cordis in ea factum est minus & est cadens in medio.

Et si melancholicum est apostema dolor fit fortior, & rixa, & alienatio, & oculi aperti fixi in unum locum intuentes; & cum lethargus est in substantiâ cerebri su-

beth eſt fortior, & difficultas motuum major, & oculi ad exitum tendunt; ſi vero in velaminibus, dolor eſt fortior, & motus ſunt leviores, & adeſt retentio urinæ propter oblivionem & debilitatem lacerti urinalis.

Si vero ſit apoſtema calidum & frigidum mixtum, ſigna ſunt compoſita ex phreneticorum & lethargicorum ſignis, ut ſupra diximus ex mente Haly.

Signa autem omnia ſuperius poſita ab Avicenna ſunt etiam poſita ab Haly, quem Avicenna ſecutus eſt. Pauca dicuntur ab Avicenna quæ prius non ſint dicta ab Haly, qui fuit primus qui poſuit ordinem medicinæ, cujus anima ſit benedicta de tanto ingenio & labore.

Signa ſuperius poſita de apoſtematibus non tantum ſunt ab apoſtemate facta ex percuſſione & læſione capitis: ſed ſunt quocunque modo fiat apoſtema, an per communitatem, an per eſſentiam, an per cauſam primitivam, vel per quamcunque aliam cauſam. Et ſignis apoſtematum capitis finem impono.

Sed quia accidunt in capite alia apoſtemata; ſcilicet quòd interdum apoſtematur caput extra cranium, ſcilicet ipſa cutis tegens caput, quæ pro majori parte eſt pauci ſenſus, quia in capite non ſunt nervi,

maxi-

maximè in exteriori parte, neque musculi nisi in temporibus qui movent mandibulas, & in fronte qui faciunt ad motum superciliorum: & interdum apostematur etiam pericranium; de istis ergo apostematibus aliquid dicamus, ut de apostematibus capitis nihil intactum relinquatur.

Et communis opinio, quod extra cranium in pericranio accidit apostema calidum & frigidum & mixtum sicut in aliis membris. Et panniculus exterior non est tanti moménti, sicut interiores, nec quo ad accidentia sequentia, si bene considerantur causæ accidentium, nec quo ad curam teste Galeno l. 4. sag. cap. 7. inquit: *nam fortiora conveniunt vulneribus interioribus quam eis quæ exterius sunt ne medicina illorum antequam ad ea deveniant deficiat: unde debemus eam adeo confortare ut in via non possit deficere.*

Et ut patet 1. Tert. apud Avicennam tract. 3. cap. 11. istis verbis: 1. *Tert. Cura ipsum medicamine leviore ex cura sirsen ita tamen quòd sis securus in administratione fortioris in ipso.* quæ verba declarans fidelis expositor Jacobus de Partibus, quo ad curam dicit leviora localia conferre parti extrinsecæ magis quam intrinsecæ: quia de facili medicinæ virtus vadit ad extrinsecum, nam pars intrinseca plus distat à me-

medicina, & cranium eſt durum & ſolidum & groſſum & intermediat ei, igitur non poteſt penetrare virtus niſi ſi fortis. Ideo virtus debilis plus convenit parti extrinſecæ quam intrinſecæ: & major eſt labor, id eſt majus periculum, in virtute forti quam debili. Apoſtema igitur extrinſecum non eſt tanti momenti.

Adducit Jacobus, ubi ſupra, aliam rationem dum dicit, quòd pars extrinſeca fortiores ſuſtinet medicinas, quia minus periculum eſt adminiſtrare eas exterius quam interius: fortis medicina forte poteſt inferre nocumentum; quod ſi inferatur melius eſt (id eſt minus malum) ut inferatur exterius quàm interius.

Conſequenter ergo dicamus, minoris eſſe nocumenti apoſtemata extrinſeca quam intrinſeca, non ſolum non per rationes prædictas ſed ratione nobilitatis membri & loci.

De apoſtematibus ergo panniculi extrinſeci claudam ſermonem, quia rariſſime fit, & ſi fit credo quòd fiat à forti cauſa, quæ etiam cauſa ut in pluribus cauſabit apoſtema aliorum panniculorum per fortem colligantiam, (ut lumen majus offuſcat minus) & ita medicus non vacabit ſignis apoſtematum pericranii, nec ejus curæ, ſed majori ægritudini.

Si

Si autem contingat, quod possibile est, signa de facili habentur, habitâ causâ an fiat à causa primitiva, & ita cura. Si vero fiat tale apostema à causa non primitiva, recurras, pro signis & curâ ad principem nostrum Avicennam ubi supra.

Sed quia non tantum fiunt apôstemata in cranio, sed interdum etiam aggregatur & aquositas & ventositas in capitibus, & maximè puerorum, etiam ibi habebis integram cognitionem & essentiæ, & causarum, & signorum, & curæ.

Et hæc sufficiant de apostematibus panniculorum & cerebri, maximè quoad signa. De prolixitate autem veniam imploro.

CAP. VIII.

Signa materiæ supra pauniculos.

Signa vero, materiam defluxam supra panniculos, vel ibi genitam demonstrantia sunt hæc. Scilicet quòd adest febris interna tremor & destructio rationis, & alia accidentia prænarrata in læsione panniculorum & cerebri, sicut inquit Avicenna *cap. de fractura cranii in principio* istis verbis: *Et accidunt ante saniositatem aut post ipsam ægritudines malæ ex febribus & tremo-*

re

re & destructione rationis & aliis. Alia litera dicit, *& alia* scilicet ægritudines, quæ accidunt apostematibus capitis, quia ante saniositatem in apostemate panniculorum & cerebri sunt prænarrata accidentia.

Posito enim quod apostema in capite non veniat ad saniem; adsunt & febres & tremores, & alia prænarrata accidentia; & ita à sanie contenta sub cranio potest fieri paralysis; & spasmus, & apoplexia, & aliæ ægritudines à nobis dictæ superius: sicut etiam ait Princeps loco præallegato istis verbis: *Et cum verificatur necessitas extendendi* (id est fricandi) *os, & extrahendi ipsum*, *tunc festinetur & non expectetur complementum generationis saniei* (scilicet, in fractura vel sub osse) *quoniam pus est causa malorum accidentium.*

Verum est, quod apoplexia non evenit nisi ex oppilatione coarctoria â materia defluente ad ventres cerebri; & hoc potest fieri si panniculi sunt fracti, vel alio modo sanies fit in cerebro, puta si in pia matre sit rupta vena quæ causet saniem apoplexiam causantem.

Et ita etiam causabit diversa accidentia secundum loca ad quæ transmittetur hæc sanies; & secundum quantitatem & etiam qualitatem saniei efficientur majora & minora accidentia, & secundum quod talis

sa-

ſanies habet exitum liberum: quia ſtante etiam tali materia, quæ non expurgatur, faciet mala accidentia.

Ut ergo Bononiæ in Reverendo D. Priamo de Peppulis, qui habebat fiſſuram capillarem in cranio per quam deſcenderat aliqua materià. Et adhibita cura cum inſtrumentis, ut videretur an rimula penetraret interiorem ſuperficiem cranii, inventum eſt quod ſic cum raſpatoriis, & per fiſſuram dilatatam exivit modica & ferè nulla ſaniei quantitas, & ceſſavit febris ſtatim acutiſſima, & inquietudines, & vigiliæ, & omnia mala accidentia quæ aderant; & hoc vidi etiam in quampluribus aliis.

CAP. IX.

Quibus ſignis dignoſci poſſit an accidentia ſint ab apoſtemate, an à ſolutione continui, an à ſanie.

SEd dubitatur in judicando, an accidentia ſint per ſolutionem continui in panniculis & cerebro, an per apoſtema, an per ſaniem contentam ſub cranio: cum prædicta ſigna ſint communia omnibus prædictis diſpoſitionibus. Ut

Ut ergo removeantur tales dubitationes medicus ſit prudens & diligens in judicando: quia talia accidentia ſi veniunt ſubito, fiunt per læſionem panniculorum & cerebri. Et dicimus, illa neceſſario eſſe ex illa cauſa, etiamſi veniant parùm poſt.

Et ultra hoc, medicus oculata fide videt notabilem fracturam, vel inciſionem, vel perforationem; vel ſi non videt certè conſiderata cauſa lædente, ſi fortis fuerit judicabit illa accidentia ſequi ſolutionem continui. Et quilibet eſt certus quòd ſi talia accidentia veniunt ſubito, vel parum poſt, quòd ibi non ſit ſanies aggregata, vel apoſtema; ergo fiunt per ſolutionem continui. Et ultra hoc accidentia prædicta veniunt fortia, & ſunt ſubito in ſuo ſtatu, & ſic non contingit in accidentibus apoſtematum nec ſaniei contentæ, quia in illis talia accidentia habent principium, augmentum, & ſua tempora longiora.

Sed quia accidentia ſaniei & apoſtematum, maximè calidorum, ſunt, ut ſupra diximus, ſimilia, & etiam conveniunt in hoc quod non veniunt niſi ad tempus notabile, erit etiam dubium en ſint per apoſtema an per ſaniem. Pro quo dubio noto diſtinctionem accidentium prædictorum, & dico, quòd accidentia apoſtematis ſunt majora quam ſaniei contentæ intra cranium:

quia

quia apostema est majoris nocumenti cerebro & panniculis quam sanies, ut patet cuicunque ingenioso. Et ultra hoc dico, quòd medicus cognoscit esse saniem, quia aliqua sanies subtilis resudat à fissura cranii si qua sit, & cranium est malè coloratum: ut latius dicemus infra de signis separationis panniculi ab osse: maximè si sanies sit multa & malæ conditionis, (de qua sanie hic intendimus,) & si fissura sit angusta vel fortè nulla sit fissura. Interdum enim est multa sanies supra panniculum, laudabilis tamen, & non facit mala accidentia; sicut contingit in vulneribus & fracturis, in quibus magna ossis pars est amota, & panniculus est detectus, à quo sanies liberè exit, & benè mundificatur & expurgatur. Sed sanies, faciens prædicta accidentia, est mali odoris. Sanies etiam labiorum est mali modi & majoris copiæ quam in apostemate: quia in apostemate labia sunt sicca & mali coloris. Caput quoque est calidius in apostemate quam in sanie.

Quando verò sanies est infra cranium, ipso non fracto, per venulam aliquam ruptam in panniculis, cranium est malè coloratum, & æger sentit gravedinem in ea parte in qua est sanies, & interdum sanies exit per palatum per nares, & per aures.

Ultra alia verò ſigna medicus conſiderare debet cauſas apoſtematis, & cauſas saniei; ut: an corpus fuerit pletoricum, & qualiter regulatum, & cum quibus medicatum.

Et inter omnia, ſi medicus dubitat de ſanie, debet aperire fiſſuram anguſtam, vel ſi non eſt fiſſura, debet cranium perforare & certificari an ſit ſanies: quia in omni fere ægritudine ſunt ſigna dubia, ideoque cum diligenti ſolertia & cautelâ, & ſine mora debent medici talia facere.

Dico, tamen quod in iſtis ſignis diſtinguendis eſt magna difficultas, & non cognoſcuntur niſi à valde experto qui conjectura aliqua hoc cognoſcat, quia hæc ſigna non poſſunt integrè ſcribi; ſed ſolum à bono ingenio diligenter ruminante, dividente & componente, & longo tempore in ſimilibus experto, poſſunt comprehendi & judicari: quia multa ſunt in medico quæ non poſſunt ſcribi, ut, ut continue videmus.

Cap.

CAP. X.

Signa ossis gravantis vel pungentis panniculos & cerebrum.

SEquuntur signa ossis gravantis seu pungentis cerebrum & panniculos, quæ sumuntur à multis: & primo à natura rei lædentis; quia si causa fuerit sagitta, vel stilus, vel aliquid tale perforans, ut plurimum aliqua ossis frustula parùm infra cranium descendunt serrata à cranio, vel etiam separata. Fit autem hoc eo modo quo contingit aliquam laminam ferream vel æneam, ab aliquo stilo pluribus vel uno foramine perforatam, in parte extrinseca effici pungentem & asperam, ita ut pungat quicquid ei obviat. Tale est instrumentam commune ad triturandum panem, & caseum, ad usum quotidianum: quod à recentioribus Latinis scabula appellatur, à scabo scabis descendens, vel Græcè τυροκνῆστις id est casitera, quod linguâ Bononiensi dicitur gratusa.

Ultra considerationem hujus causæ, patiens sentit dolorem pungentem continuum, fixum in loco læso, & statim. Vel causa fuit contundens, rumpens cranium, & in-

tra ipſum plicans ; vel rumpens taliter ut medicus oculata fide judicet cranium ingravare & pungere panniculos, cum relatione patientis ſi loquitur; ſi enim non loquitur tangit locum manu omni hora.

Et interdum ita comprimuntur panniculi & cerebrum ut inde accidat apoplexia, ut teſtatur Raſis, cujus autoritatem recitat Nicolus Florentinus; Inquit: *retulit mihi quidam, qui vidit quendam in quo panniculus groſſus erat læſus, & quotiens oppreſſio fiebat ei inferebat apoplexiam, & dimiſſa illa oppreſſione revertebatur ad diſpoſitionem naturalem.* Et ſubdit, fuiſſe tunc tempus æſtivum; quod ſi hyems fuiſſet, ſtatim illata fuiſſet apoplexia, cui nulla fuiſſet cura.

Nota lector quòd ex frigiditate fit apoplexia, quo modo fiat credo per compreſſionem, vel fortè per mortificationem & extinctionem ſpirituum animalium, & ita fit mors.

Quod etiam compreſſio, non tantum oſſis, ſed etiam alterius rei comprimentis, poſſit cauſare apoplexiam, inquit Rabbi Moſes Part. 24. Aph. 60. his verbis, autoritate Galeni: *Dixit etiam: quadam vice, per extractionem oſſium fractorum capitis, neceſſario ſuppoſui illis oſſibus, ſalvationis via, inſtrumentum, ſalvatorium pelliculæ cerebri* *ne-*

nominatum: & si instrumentum parùm magis ipse impressioni & retentioni cerebri adduxissem, amisisset patiens tunc sensum, & omnem voluntarium motum. Amittere vero sensum & voluntarium motum non est nisi apoplexia.

Vides modo, quàm diligens debeat esse operator tali in opere.

Sed interdum contingit etiam, quòd ex contusione sic comprimente non accidit apoplexia, nec talia sæva accidentia. Dicunt tamen quidam quòd osse plicato ad intra, absque ruptura cutis & cranii accidunt somnia mala (scilicet, quod somniant hostes super se,) unde surgunt & clamant dormientes, & fugiunt, & arma invadunt ac si vigilarent; & hoc faciunt, quia eorum imaginationes læsæ sunt per gravamen à cranio. Nicolus etiam dicit quod hoc est, si infirmus est puer, & si compressio est magna, quia apostematur dura mater & fortè cerebrum & sequuntur accidentia mala.

Ego tamen vidi compressionem magnam & notabilem, in alia ætate quam in pueritia, absque fracturâ ossis manifesta, & non erat rupta cutis, erat tamen concavitas in capite notabilis, & per emplastra sanati sunt, & non fuere mala accidentia aliqua. Nunc quoque habeo puerum unum

in cura cui os eſt depreſſum depreſſione magna, & nullum eſt malum accidens.

Et quod accidant ſomnia mala in compreſſione interdum ego ſum teſtis, quia iſtum caſum ſemel vidi in quodam Ricio auriga dominarum de nobili familia Piorum de Carpo; qui à gravi clavi in capite percuſſus habuit plicaturam cranii, & erat annorum 25. & non tantùm in ſomniis habebat talia accidentia ſc. quòd credebat hoſtes invadere cum & clamabat, & interdum dormiens, interdum etiam in quiete erat ſine clamore. Viſis iſtis ſignis aperta fuit cutis à patre meo (quia nulla erat in cute fiſſura, ſed ſola erat contuſio cum aliquali tumore) & oſſe detecto inventum eſt os ruptum & plicatum. Et altera die cum ſerra ſubtili facta fuit operatio in cranio, ſecundum quòd exigebat modus curæ, & extracta certa quantitate oſſis ſuppoſitum fuit inſtrumentum quod dicitur elevàtorium, & totum os compreſſum, quod erat fruſtum maximum, fuit elevatum ad ſitum naturalem, qui remanſit in loco ſuo. Et ſic in media hora rediit ad priſtinum intellectum, & poſtea reſtitutus eſt ſanitati, adhibita reſidui curâ.

Admiraberis lector, quia dixi magnum oſſis fruſtum eſſe elevatum quod erat depreſſum, & ad ſitum naturalem reductum

&

& ibi remansisse; sed est verum, & pluries hoc contingit ut magnum ossis frustum in fractura cranii, vel incisione à re gravi non subtiliter incidente, plicetur, & inferius notabiliter descendat, quod indiget elevatione, & elevatur, & stat in loco suo ut prius.

Causa autem est quia potest nutriri: nam undequaque non est separatum, quamvis sit plicatum in una vel in duabus partibus, sed alibi adhæret cranio sano, & ab illo trahit nutrimentum; vel non est separatum à dura matre, à qua trahit nutrimentum, quia cranium nutritur à venis duræ matris & pericranii. Et semper dura mater in sanitate (id est dum caput non est fractum, vel apostematum) est alligata cranio per totum, ut latius infra dicemus, & sic ab ea nutritur & consolidatur, uti scis.

Quòd verò cranium nutriatur à dura matre vidi ego experientia Florentiæ in quodam puero, ætatis annorum 12. vel circa, filio cujusdam tinctoris, qui fuit percussus à quodam mulo pede, & cranium erat fractum ad quantitatem hostiæ magnæ, & ad intra crassitie unius cultelli compressum, & undequaque separatum: Et ego cum Magistro Alexandro de Ripa Physico & quodam Tansura dicto qui erat Chi-

rurgus, fui vocatus ad curam & viſo oſſe depreſſo, inſtrumentis aptis volebamus elevare totaliter illud, ſed in elevatione vidimus unam notabilem venam ruptam, à qua multa ſanguinis quantitas exibat, in qua cognovimus periculum magnum: & dimiſimus os, quia retinebat ſanguinem, cogitantes illud deinde ſuo tempore removere: & curantes vidimus os ſemper eſſe vividum, neque aderant ulla mala judicia. Et ſic proceſſi poſtea ego ſolus in cura, & vidi os à lateribus, mediante horosboth, conſolidari; & reliqui os, & ſic perfecte ſanatus eſt. Videram & alios prius, & vidi poſt, quos brevitatis cauſa relinquo narrare.

Vidi præterea compreſſiones plures in capitibus puerorum, à caſu, aut per inertiam obſtetricum factas alia ratione, quæ curatæ ſunt quodam meo ceroto capitali (cujus inventoris anima requieſcat) quod non habet ſibi in orbe par in vulneribus capitis & fracturis; (deſcriptionem ponam ubi de cura læſionum capitis agetur) & tamen illis pueris non erant ſomnia illa, credo quia non erat compreſſio tanta ſufficiens facere talia accidentia.

Contingit etiam os pungere & gravare panniculum, in notabili fractura cranii, non tantum à re contundente, verùm etiam ab

ab incidente; (quia arma non ſemper ſubtiliſſimè incidunt.) Nam quia oſſa ut plurimum ſunt frangibilia & vitrea, fiſſura notabili facta in cranio introrſum penetrante, aliqua fruſta oſſium cadunt deorſum ſupra panniculum, & notabilia ſunt, quia ſunt majora, id eſt cum majori fractura in ſecunda vel inferiori tabula, cranii, quàm in ſuperiori: & pungunt ſive gravant panniculos. In ſimilibus debet medicus ſerrare cranium lateraliter, & fiſſuram ampliare, & illud os extrahere; quia aliter non curatur talis diſpoſitio.

Et hunc caſum ego habui notabilem in quodam Philippo Donello de Carpo, qui vixerat annum cum magno fruſto oſſis ſub cranio. Vulnus erat notabiliter longum, & conſolidatum integrè, niſi quòd extrema vulneris nunquam potuerint conſolidari & perfectè claudi, erant enim ibi duo parva orificia, à quibus reſudavit ſanies ad minus per ſex menſes. Fuerat autem curatus à fratre ſuo, qui erit ſatis bonus operator, & à meo patre. Sed ego ſuperveniens aperui totum vulnus ſecundum longum, & dilatavi in latum, & ſerra amovi partem lateralem cranii, & inveni fruſtum longum & groſſum ſupra panniculum, quod extraxi, deinde mundificavi panniculum, & liberè ſanavi eum, vivitque adhuc in bono ſtatu.

Nota etiam, quòd ſæpe ſub oſſe ſunt fruſta oſſium, etiam notabilia, & non pungunt neque gravant panniculos. Et hinc eſt quòd non adſint accidentia ſæva; ſed, ſi medicus eſt expertus; aliquo indicio cognoſcet an oſſa ſint ſub cranio, maximè quando viderit curam ultra debitum prolongari. Et cum viderit ſaniem ſub oſſe exire, & non viderit accidentia ſæva, tunc judicabit ſaniem illam eſſe ex fruſtulo oſſis curam impediente: quia ſi ſanies eſſet ex alia cauſa adeſſent accidentia ſæva.

Et pluries ego à vulneribus capitis extraxi oſſa de ſuboſſe in ſimili caſu, ſed ſi foramen eſt apertum natura ex ſe expellit talia oſſa, tardè tamen, ſed melius fit ſi ab arte juvetur.

Per alium modum etiam deſcendunt fruſta oſſium infra cranium. Nam interdum dum trepanatur cranium, inſtrumenta medici, non apta ad illud, rumpunt cranium, & ingrediuntur inter panniculum & cranium oſſis fruſtula, & ſic pungunt vel non pungunt, ut ſupra dictum eſt; atque ita gravant ſecundum quantitatem oſſis, vel ſecundum modum per quem obviant panniculo: quia interdum ſecundum planiciem oſſis tangunt panniculum & ſic non pungunt, vel obviant panniculo cum acutie aliqua & ſic pungunt,

vel

vel gravant si sint magna, sic trepanando tamen non possunt multum gravare, quia frustula sunt parva & levia.

Et istum casum, de descensu ossiculorum per trepanationem, vidi, excelse Princeps, in tuo capite, cujus curæ præfui. Nam per absentiam instrumentorum facta fuit trepanatio qualis potuit fieri, & tandem ossis aliqua portio subivit cranium, Dei tamen gratia adjuvante os eductum est, & sanitati es restitutus. Absentia autem instrumentorum erat ex ignorantia essentiæ ægritudinis: quia ego fui advocatus, ut & aliqui alii, ad centum quinquaginta milliaria, equo præcipiti, non narrata ægritudinis essentia. Atque ita non habebantur hîc loci instrumenta ad tale negotium apta, ob quod evenit error in trepanando. Duce tamen divino auxilio sanus evasisti.

Ex prænarratis potest patere quanti ponderis & momenti sit os pungens & gravans, quia vel per se, vel aliunde potest inducere sævissima accidentia & mortem.

CAP. XI.

Quod dura mater adhæreat cranio.

NUnc autem de signis separationis duræ matris à cranio dicamus. Sed antequam

de

de iſtis ſignis agam, dico quòd non poſſum non mirari, quòd ſint aliqui auctores & non pauci, qui tenent duram matrem ſemper diſtare à cranio, exceptis commiſſurarum locis, in quibus omnes conveniunt quòd ibi ſit alligata. Sed illi ſunt in puro errore, quales quales etiam ſint quia purum fatentur mendacium.

Quod ſit verum apparet autoritate Galeni, cujus autoritatem adducit Raſis l. xv. Continentis cap. 111. circa medium capitis, iſtis verbis: *Aut pars fracturæ perveniet in toto ſub eo, & fortè removebitur os à panniculo ſolido, aut forte non &c.* In iſtis verbis ponit cranium alligari panniculo duro.

Sed & l. 9. de juvament. membr. c. 5. in fine ponit quod neceſſario debet alligari cranio. Dicit enim: E*t quia impoſſibile eſt, ut coopertorium ſpiſſum non ſit applicatum cum teſta propter remotionem eorum ad invicem, & fuit neceſſarium ut applicarentur, oriebantur ei ligamenta. Et iſta ligamenta ſunt coopertoria tenuia, quæ oriuntur à coopertorio ſpiſſo; & via eorùm, per quam exeunt à teſta, eſt porus teſtæ capitis, & cum exierint quodlibet eorum expanditur ſuper locum ex quo exit, & expanduntur omnes ſuper manifeſtum teſtæ, & occurrunt & copulantur ad invicem, donec fiat ex eis omnibus cooper-*

to-

torium unum, quòd continet manifeſtum totius teſtæ; & ſic ligat coopertorium ſpiſſum cum teſta.

Hoc idem tenet Haly, & Avienna cap. de fractura cranii quamvis forte alibi aliter ſentiant. Et inter alios hoc idem tenet Paulus cujus autoritatem allegat Raſis cap. præall: poſt autoritatem Galeni qui eſt ejuſdem opinionis; & multi alii, qui bene ſentiunt duce experientia; nam hoc pluries ego monſtravi in anatomiâ publicâ.

Et ita quilibet inveniet, ſi cranium circumquaque ſerret (ut fit in anatomia communi) deinde incidat totum panniculum & cerebrum totum ſuaviter, ut ſeparetur pars capitis ab alia parte ſine violentia; & ita apparebit dura mater alligata per totum æqualiter.

Pluries quidem tentavi videre an magis adhæreat ipſa dura mater cranio in loco commiſſurarum, quam alibi, ſed oculata fide fateor, quòd non. Dicant quid velint alii, credo per poroſitates oſſis undique exire ligamenta, prædicta per Galenum & pericranio alligari, ſeu panniculum ipſum facere, & ita utrumque eorum pari modo reperiri alligatum cranio.

Dico tamen, me pluries feciſſe anatomiam fœtuum quatuor vel quinque menſuum, in iis commiſſuræ nondum ſunt pro-

propinquæ, ut in perfectis, sed dura mater & pericranium sunt conjunctæ simul conjunctione forti, per totum ubi nondum est os. Atque ita indies natura augmentat & indurat os capitis inter pelliculas, sive ex materia prima spermatum parentum, sive ex alio nutrimento aliunde transmisso, & concocto & illi assimulato. Apparent ergo in loco commissurarum necessariò panniculi magis alligati & uniti, quia, in loco commissurarum, inter duram matrem & pericranium non intermediat substantia cranii.

Credo quidem quòd a principio, antequam cognoscatur esse cranium inter panniculos (qui completive priores sunt cranio) ligamenta ipsorum prænarrata sint per totum æqualia; sed remanent magis annexa & propinqua, completo capite, in locis commissurarum: per quæ loca, secundum aliquos exeunt plures nervi & ligamenta quam alibi. Sed ego, ut supra dixi experientia, non distinguo sensu, nec possum excogitare rationem illud probantem. Quæ autem sit causa commissurarum non est præsentis negocii; sed in nostra anatomia hac de re longum proferemus sermonem.

Et credo quòd ob istam causam multi dicant duram matrem per commissuras alligari panniculo exteriori, & per commissu-

ras exire nervos & venas; Et ſane eſt quia ita dura mater eſt tota nervea & venoſa ſicut ſunt alii panniculi. Credo tamen quod ſit nervoſa æqualiter: quia nervi in panniculo non ſunt diſtincti, nec invenio rationem propter quam debeant eſſe majores nervi in una parte panniculi quàm in alia. Et iſto prædicto modo exeunt nervi per commiſſuras.

Verum etiam eſt quòd venæ & arteriæ in panniculis ſint majores, in una parte quam in alia: quia ſemper debet eſſe paratum nutrimentnm prope membra nutrienda, & ſanguis non poteſt ſtare extra venas quia putreſceret. Quare dico, per commiſſuras exire nervos & venas modo prædicto; hoc tamen non obſtat quin dura mater, & nervi in ea & venæ contentæ, non exeant poros cranii alibi.

Ponunt etiam iſti periculum in operando circa commiſſuras: Profiteor tamen ego me vidiſſe vulneratos plures & curaſſe in commiſſuris & extraxiſſe fruſta ſerratilia commiſſurarum, qui evaſere, nec vidiſſe in iſtis differentiam illam magnam quam ponunt multi, qui magni ſunt medici calamo & verbo. Credo ego iſtos indiligenter vidiſſe anatomiam.

Dico tamen in commiſſuris magis panniculos alligari quam alibi, quia illic non in-

intermediat os, & propter hoc bonum eſt in operando cavere à commiſſuris: quæ, propter quem finem ſint factæ, alibi dicetur.

Quod autem prius ſint panniculi quam oſſa teſtis eſt Galenus l. 2. complex. cap. 1. Inquit: *Exiſtimamus ergo, animal jam incipere generari in matrice, ut ſciamus qualiter eſt ſecundum ultimum humiditatis & caliditatis, & illud ideo, quoniam conſtitutio animalis prima non eſt, niſi ex ſanguine & ſpermate. Et hæc quidem duo non ſunt niſi calida & humida: quæ deinde inceſſanter & paulatim deſiccantur, donec ex eis procreentur, primum panniculi, & tunicæ & viſcera; nam vaſa poſtea generantur, poſtremo oſſa & ungues, & cartilagines &c.*

Cap. XII.

Signa ſæparationis duræ matris à cranio.

CUm autem maximum ſit periculum in trepanatione, adhærente dura matre cranio per totum, ut dixi, & contingat ſæpe eam ſeparari (qua non ſeparatâ non debet fieri trepanatio, ut loco ſuo dicemus) igitur ſigna ſeparationis ponamus. Conveniunt

niunt autem illa aliquo modo cum ſignis commoti cerebri, cumque ſignis materiæ contentæ ſub cranîo rupto vel non rupto; apertè tamen diſtinguuntur. Et quia os in fracturis multis reperitur ſeparatum diverſimode, ideò hîc intendo ponere ſigna ſeparationis oſſis à panniculo, quando non poteſt videri ſeparatio (ſc. cum os non eſt fractum, vel ſi eſt fractum, eſt cum capillari rimula) ſanies tamen eſt inter os clauſa: quia tunc debet fieri operatio.

Sed admirabitur aliquis, quomodo ſit poſſibile quòd oſſe non fracto ſeparetur dura mater à cranio. Dico, & tu lector bene nota, quod per contuſionem interdum rumpitur in dura matre aliqua venula, inter eam & os contenta, à qua fluit ſanguis qui ibi putreſit, & neceſſario putreſiunt ligamenta illa parva duræ matris oſſi alligata, & ſic ſeparatur panniculus, & facit ſæva accidentia & mortem, niſi ſuccurratur.

Interdum etiam à contuſione non rumpitur aliqua vena ſed rumpuntur ligamenta illa duræ matris, à quibus reſudat aliquid, atque ita etiam à ſuperioribus per eoſdem poros virus deſcendit. Hiſce vero niſi ſuccurratur accidunt ſæva accidentia & mors, ut ſupra quoque dictum eſt.

Contingit etiam aliquam medicinam tre-

trefactivam unctuosam adjuvare prædicta. Et hoc ego pluries vidi : sed inter alios modos nota istum. Contingit quòd à re superficialiter incidente removeatur aliqua cranii pars, nec multum profunda; ab hac facilius cadit dura mater: quia ejus (scilicet duræ matris) ligamenta quibus mediantibus per poros cranii alligatur, almocati, sunt in profundum magis incisa, & consequenter relaxationi magis apta, & ita etiam superficies ossis remota quæ est densior quam pars dia, & consequenter sanies est magis apta medescendere.

In isto casu sæpissimè contingit mori. Primo quia qui sciunt hanc artem plerumque ignorant istam causam: & licet scirent non tamen id prodest ægro, nam nostro tempore reperiuntur multi Physici hoc nescientes, qui volunt chirurgos operari ex suo præscripto, quia eis dominantur. Præterea opus, quod debebat fieri in isto casu est trepanatio, & medicus insciens non vult, vel si velit (aliquando enim reperiuntur Physici periti, qui in istis casibus concordant cum chirurgo) æger & affines & astantes timent tale opus, & ita cum benedictione vulgari moriuntur. Et tales casus ego multùm timeo: quia apparet quòd ægritudo sit levis, cum tamen ardua sit & pessima; ex illa autem levi-

vitatis apparentia fit impedimentum in opere medici à caufis prænarratis.

Ponamus ergo figna feparationis prædictæ. Et dico quôd vel os incipit jam feparari, vel jam feparatum eft, fi incipit feparari (puta per relaxationem ligamentorum prædictorum, vel per rupturam eorum) tunc os incipiet aliqualiter mutare colorem; quæ mutatio eft per gradus diverfos, mòdò multa, modo pauca, fecundum quòd os fuerit fine adhærentia panniculi, quia panniculus vivificat ipfum os, mediantibus venulis & arteriis in ipfo panniculo exiftentibus, à quibus nutritur & vivificatur. Eft autem os fanum (fcilicet illud cui adhæret dura mater) coloris albi mixti rubedini, & quo feparatio eft major, eò major offis quantitas eft mutata in colore.

Et oportet ut exerceatur medicus in cognitione iftorum colorum, quia quilibet non cognofcit; fed tantum ille qui eft expertus & exercitatus in fimilibus: ficut experti cognofcunt gemmas bonas à fraudulentis & non bonis.

Atque ita diftat ille color fanus à non fano fecundum qualitatem faniei contentæ fub ipfo offe, & fecundum tempus longum, breve, vel mediocre materiæ contentæ: quia vapor elevatus â fanie exit ali-

quo modo per poros cranii, & ipſum colorat colore ſuo. Quales autem poſſint eſſe colores ſaniei, cuilibet notum eſt.

Ultra verò colorem cognoſcitur etiam os eò quod ſit ſiccius ſano. Eſt quidem major ſiccitas ſi panniculus ſit apoſtematus, vel ſi os ſit ſeparatum à dura matre, habente ſanie liberum exitum: quia aliquo modo vapores ſanie retentæ humectant os; Tamen in hoc caſu eſt ſiccius, quàm ſi non ſit ſeparatus panniculus ab eo.

Et ultra colorem & ſiccitatem, quando incipit iſta ſeparatio, incipiunt aliqua ſæva accidentia: ut febris, alienatio, ſtupor, vigiliæ, & accidentia prædicta in læſione panniculorum: quia incipit ſupra panniculum aggregari materia, quæ incipit corrumpi. Adſunt etiam dolores quàm ſi non ſit ſeparatus panniculus. Et ita paulatim augentur talia accidentia, ſicut paulatim aggregantur materiæ inter ipſos.

Ex prædictis poteſt colligere quæ ſint ſigna cum os incipit ſeparari, & quæ ſint ſigna cum jam ſeparatum eſt, quæ etiam accidentia ſequantur quantitatem & qualitatem materiæ, vel proveniant ſecundum naturam loci ſaniei. Nam ſi eſt propinqua alicui ex nervis cerebri, inducit ſpaſmum vel paralyſin illorum membrorum, ad quæ vadunt illi nervi. Non ignoret ergo medi-

cus

cus membrorum colligantiam, ut ſciat referre accidentium cauſas.

Poteſt autem interdum ſanies eſſe inter duram matrem & ſororem ejus, ex aliqua vena rupta in dura matre verſus piam, vel in pia matre. Et tunc ſunt majora accidentia propter nobilitatem loci. Fortè autem os non erit ſeparatum à panniculo, fortè vero erit ſeparatum. Et hic caſus eſt de his à quibus non evadunt aliqui niſi nutu Dei: nempe ſi panniculus durus, ſit apertus ſive ruptus, & factâ aperturâ in cranio, à natura forti, & à medico diligenter operante ſanies exſiccetur.

Et ultra prædicta accidentia accidit etiam apoſtema calidum in panniculis ut dicit Raſis *l.* 15. *contin. cap* 3. *in fine*, autoritate Pauli. Inquit: *Dico, debet dari ſignum fracturæ à qua removetur panniculus groſſus. In primo debes ſcire diſpoſitionem ſyphach: utrum ſit adhærens oſſi, an non, videlicet, ſi adhæſerit oſſi, non fiet in vulnere apoſtema calidum, & licet accidat, modicum erit, ærugo manebit de ea modica, & putredo erit digeſta: ſed ſi fuerit remotum, vehementiores erunt dolores & febres, mutabitur color oſſis, & corrumpetur, & manabit putredo tenuis. Quibus viſis celeriter fiat inciſio oſſis fracti: quoniam niſi hoc ſequatur, peiores*

 con-

conditiones erunt primis ad modum spasmi, & vomitus cholera æruginosæ, alteratio mentis syncope & febris continua. Quod si hæc accidunt noli curare eum.

Prædictam sententiam ponit quoque Avicenna cap. de fract. cranii de verbo ad verbum, quam credo eum accepisse à Paulo istis verbis. *Si ad cerebri usque membranam plaga pervenerit, omissa rasura, utrum membrana ab osse recesserit, an etiam dum affixa permaneat, considerandum est. Si enim manserit membrana mediocris inflammatio vulnus affligit, æger febri paulatim liberatur & pus maturum apparet: si recesserit cruciatus augentur, & febris similiter, os alio colore tingitur, pus tenue & incoctum fertur: & si negligat medicus nec statim perforatione utatur graviora accidentia superveniunt, verbi gratia, bilis vomitus, convulsio delirium & febris acuta, quibus manuum administratio recusanda est.*

Prædicta etiam signa recitat Haly lib. 9. pract. cap. de fract. cranii: quibus signis in casibus ptædictis ego addo rigores, quos nunquam vidi sine separatione prædicta, sive sit fractura cranii manifesta, sive occulta, prout longo tempore observavi. Observent ergo prædicta signa operantes; ut sciant tempus aperiendi cranium, ut suo loco dicemus.

Cap.

CAP. XIII.

Signa prognoſtica læſionum capitis.

NUnc vero ad ſigna prognoſtica ſive ad judicia tranſeamus in quibus laudabilis medicinæ finis exiſtit, cum actor in ſingulis futura perpendit, quamvis omnes minime curare poſſit. Et hæc eſt ſententia divi Hippocratis lib. 1. Progn. Cujus prognoſtici utilitatem Galenus monſtrat. cap. 1. lib. 1. Prognoſt. inquit: *tria ſunt juvamenta in prognoſtico; quorum unum eſt quod medicus quando utitur prognoſticatione recipiunt infirmi ab eo quod eis præcipit: aliud eſt, quia quando prius cognoſcit quod accidit infirmis in futuro antecedit ad illud tempore longo, & præparat ſe ad opponendum ei: tertium eſt ne exiſtimetur de eo quod ipſe ſit cauſa mortis ejus qui moritur ex infirmitate.* Eandem ſententiam ponit libr. de conſtitut. art. medic. cap. 16. Inquit: *Prognoſticatio enim inculpabilem oſtendit de morte medicum, & obedientem exhibet laborantem, & ante multum præparat cum ad tempus auxiliorum.* Inquit etiam lib. 1. Prog. cap. 4. *medico poſſibile eſt omnino, ut antecedat & reſiſtat omnibus accidentibus quæ ac-*

cidunt , ſicut ſapienti navis gubernatori qui timet inſultum commotionis maris ſuper ſe.

Igitur rogo ſummum Deum ut me dirigat ad verę prognoſticandum : quia nil ſolidius , durius , aridius , & difficilius eſt in medicina quam judicium rectum exponere. Unde magnus ille Cous , cætera poſtponens , dixit *judicium difficile.*

Et primo dico quòd medici ſint cauti in prgnoſticando de læſione capitis : quia etiam levis læſio non caret ſuſpicione , primò quia læſio eſt in nobiliſſimo membro , & de ſimilibus vidimus multos periclitari. Nam pluriès accidunt leves læſiones corpori cacochymo , & tali non adhibetur diligentia , vel ex ſe , vel aliunde , ex quo ſequitur malus finis Interdum enim non vocant medicum peritum , ſed quilibet eis eſt ſufficiens : vel ſi vocant , non credunt de periculo prognoſticato. Arbitrantur multi medicum hoc agere honoris vel pecuniarum gratia , & inobedientes fiunt non ſolum chirurgico inſtrumento ; ſed etiam dietæ & potioni & alio debito regimini. Et ex hoc ignarum vulgus detrahit medico quamvis malus ſequatur finis remota omni medici culpa.

Non caret etiam ſuſpicione capitis læſio propter operatores hujus temporis : quia rari ſunt boni Chirurgi aut Phyſici. Dii bo-

boni quanti & quales reperiuntur medici! certè in hac ſola arte evenit, ut cuicunque ſe medicum profitenti credatur: cum ſit periculum in nullo mendacio majus. Reperiuntur multi qui magno boatu diſputant, & morientibus ægris Hippocraticos nodos Tulliano ſtamini permiſcentes, ſiniſtra quamvis eventu, ſuperbiunt: nec rerum effectibus, ſed inani verborum elegantia gloriantur. Hi quia non conſilio ſed eloquio pollent & velut inſidiatores vitæ & venefici vitari debent.

Hodiernis temporibus medici dedignantur Chirurgi appellari: ſed, ut pecunias extorqueant prædicant ſe hanc artem ſcire quidem puſillanimes autem eſſe in operando; ut tamen lucri participes fiant ſecum ducunt chirurgulos: & ita cœcus cœcum ducit & ambo in foveam cadunt. Verum ſalva ipſorum pace, iſti non ſunt medici: quia veri medici pollent triplici inſtrumento, & ut habet Guido de Cauliaco, uſque ad tempus Avicennæ omnes medici fuerunt chirurgi & Phyſici. Equidem credo, multos de prædictis medicis operaturos ſi ſcirent modum operandi; ſed potiſſima cauſa ob quam non operantur, eſt, quia neſciunt operari. Nemo enim eſt peritus chirurgus qui à pueritia non vacavit huic arti.

Teſtatur Diodorus Siculus, quod Cal-

dæi excedant alios in ſcientiis, quia pueri à partibus, progeniem ſecuti, addiſcunt philoſophiam, omni aliarum rerum cura poſthabita: atque ita, tum quia à teneris annis in ea doctrina erudiuntur, tum quia diutius in ea perſeverant, doctiſſimi evadunt. Idem dico de arte chirurgica, quoad agilitatem manuum in ſuendo, ligando, ſecando, urendo, & alias chirurgicas operationes faciendo. Sed quia rari reperiuntur tales, maximè literis imbuti, ideo tanta eorum nunc temporis eſt penuria. Et propter hoc dicebat Hippocrates quod chirurgorum nomine quidem multi, opere autem fuerint pauciſſimi.

Verùm, ut par eſt, major eſt adhibenda fides Phyſicis præſentibus quam chirurgis, quæ eſt turba rudis & indigeſta & quò debeat ſe vertere neſcia. Parcant igitur mihi qui de Hippocratis ſtirpe ſunt medici: de uno vel pluribus dixi non de omnibus: ipſorum autem nomina ad ſydera evcho.

Signa prognoſtica ſequendo, dico prænarratis, quod omnis læſio in capite eſt verenda, regulariter tamen operando dico quòd non. Affirmo enim quòd vulnera & contuſiones, non penetrantes cranium & etiam penetrantes, abſque læſione tamen panniculorum & cerebri, non ſint mor-

ta-

tales, adhibita diligenti curâ. (Cum dico mortale hîc & alibi, intelligo mortale ut plurimum.) Sed, si sint cum læsione prædictorum, dico quod tales læsiones sunt mortales plurimum, non quod sanentur aliqui ex eis.

Hujus dicti testis est Galenus lib. 6. Aph. illo: *Vesicam incisam, cor, cerebrum; renes, epar. & intestina gracilia, mortale;* qui inquit se vidisse quendam in provincia sanari in civitate Nubiæ qui notabilem habebat læsionem in cerebro; & l. 8. de us. part cap 10. meminit alterius cui unus venter cerebri erat perforatus, & ambo sanati sunt.

Et tamen Jacobus de Partibus. exponens capitulum de plaga capitis 1. tert. autoritate Zohar 19 Theisir cap. 1. inquit hæc verba: *Et quam nobile est dictum Galeni cum tractavit de fractura panniculi cerebri* (nam notum est apud omnes, & semper & ubique) quòd impossibile est vivere illum cujus panniculus cerebri fractus est: *Et videns Galenus quendam cujus panniculus fractus fuit & exinde liberatus est, dixit ipsum a Deo liberari summa potentia atque sapientia.*

Hoc dictum est valde jejunum fortè quia Galenus quando dixit prædicta nondum viderat majora; credo ita esse, quia ali-

alibi aliter ſentit, ut patuit ſupra. Dicimus tamen, dictum ipſius à Zohare hiç adductum, habere veritatem ut plurimùm & magis in pia matre quam in dura.

Prædictam Galeni primam opinionem tenet Avicenna quarta quarti, dum inquit: *Membra, in quæ cum cadit vulnus & magnificatur nocumentum interficit ut plurimum, & non niſi raro non interficit, ſunt veſica, cerebrum, renes, epar, & inteſtina gracilia, quamvis ſalvetur ſuper ea cum vulnus eſt leve.* Item, quarta quarti c, de diſrup. & extract. ſagit. Ubi ita ait: *quod ſi ſagitta fixa fuerit in aliquo membro principali, ſicut cerebro, aut corde, aut pulmone, aut ventre, aut inteſtinis, aut epate, aut matrice, aut veſica, & apparent ſigna mortis; tunc oportet ut abſtineamus ab attractione ſagittæ, quoniam fiet inde inquietudo plurima: ne ſuperveniat nobis locus ſermonis ſtolidorum, cum hoc quodparum conferimus infirmo. Si autem non apparuerint ſigna mala ex quibus timeamus de accidentibus tunc permittemus ſermonem in perditione quæ accidit ut plurimum, deinde incipiemus in curatione. Multotiens enim de eis, in quibus accidit illud, ſalvatur aliquis abſque ſpe mirabiliter. Et multotiens egreditur pars epatis, & aliquid de ſiphach quod ſuper ventre & Zirbo, & matrix tota, & non accidit inde mors. Verum ſi nos demiſe-*

ſtrimus iterum in his membris principalibus, accidet mors ſecundum omnem diſpoſitionem, & proportionabimur ad paucitatem miſericordiæ. Si autem abſtulerimus ſagittam fortaſſe ſalvabitur infirmus quandoque.

Tenet etiam idem Avicenna quòd non ſolum cerebrum patiatur ſolutionem continui, ſed quod etiam accidat cerebro apoſtema, ſuppuratur, & quod non moriatur, licet æger implicite hoc dicat, ſi tamen ruminentur ejus dicta ponit poſſibilitatem ſalutis, ut patet tertia quarti cap. de exitur. calid. Ubi inquit: *Et laudabilior eruptio ejus eſt ad ventriculum membro proprium cui eſt via currens ad exteriora, ſicut exitura ſtomachi. Ut enim rumpatur ad interiora ejus & ipſius concavitatem melius eſt quam ut rumpatur ad exteriora ejus & ad ventriculum continentem mirach: ſicut eruptio ejus quæ ad duos in cerebro ventriculos anteriores laudabilior eſt, quoniam ambobus ſunt meatus ſicut naſus & nares.* Sed Avicenna hoc totum accipit à Galeno lib. de mala complexione diverſa cap. 4. dum Galenus inquit: *Quod fuerit illud in partibus ſtomachi, laudabilior erit collectio quæ erit in amplitudine, quam quæ in exterioribus ejus exiſtit, & ad quam ut plurimum fit ſaniei eruptio; collectio vero quæ fit ſub ſiphac eſt mala. Et cum fuerit illud in partibus cerebri*

tunc

tunc collectio in duobus ventriculis ejus anterioribus erit laudabilis; ſed collectio ſub duabus matribus & ventriculo qui eſt in poſteriori cerebri, facta, eſt illaudabilis & prava.

Idem reperiuntur à Raſi lib. 13. contin. c. 4. iſtis verbis: *quod ſi exitura fuerit integumentis cerebri, congregatio ejus & putrefactio laudabiliores erunt ſi fuerint ad concavitatem prædictam quoniam manabit ad narem & palatum & ſi congregatio ejus fuerit ſub matre pia & in concavitate poſteriori cerebri malum.* Sed forte nec Galenus nec Raſis ibi intelligunt exituram in ſubſtantia anteriori factam; quidquid verò ſit quod intelligatur ad minus eſſe in panniculis imo ſufficit nobis Avicennæ ſententia.

Quod etiam contingat cerebrum lædi & ſanari, tenet Conciliator differ. 171. & cum ipſo multi alii: quod autem aliqui teneant contrarium eſt, quia pauca viderunt & minus ſciunt. Ego mihi ipſi credo, & fateor, quod vidi uſque ad hunc diem ſex homines à quibus notabilis quantitas medullæ cerebri exivit & ſanati ſunt. Licet vero ex iis aliqui non multo poſt tempore mortui ſunt apoplectici, aliqui maxime duo, ſemper paſſi ſunt paralyſim unius lateris: vixerunt tamen per duos annos.

Tres

Tres illorum vidi & curavi in terra Carpi, dum adhuc essem satis juvenis, & pro ætate non fui deceptus, nam habui fideles & peritos Physicos in societate; in prima autem vel secunda visitatione extraxi è labiis vulnerum magnam cerebri partem quæ sponte sua cranium exierat. Unum vidi in civitate Pistorii, quem carabat quidam Angelus Hebræus, satis expertus chirurgus & sanatus est. Duos ipse curavi Bononiæ: unus fuit quidem dominus Vincentius Ragacia: alter fuit dominus Paulus, nepos Cardinalis Strigoniensis. Et apud hunc habui multos nobilissimos & doctos testes. Extraxi nam in prima visitatione aliquam portionem cerebri, deinde 13. die exivit alia notabilis portio & tandem usque ad sexagesimum devenit diem sine aliquo malo accidenti. Erat verò foramen in cerebro valdè profundum: quia causa fuerat cuspis runchæ: & remansit tale frustum in cerebro perpendiculariter per diem eratque longitudinis quatuor digitorum, quod tenaculis magno labore extraxi, quia vix poterat videri & capi. Et in eodem foramine tenui tentam per quinquaginta dies vel circa: quia semper emanabat humiditas aquosa & multa: tunc tamen ad nihilum deducta fuit ipsa humiditas: & tunc extraxi tentam, quæ erat can-

cannulata: & tentavi consolidare vulnus. Circa sexagesimum diem, ob materiam in cerebro contentam, supervenit maximus paroxismus epilepsiæ, cum maximæ omnium membrorum tremore & rigore. Hoc ego videns, jussi ipsum pedibus elevari & capite deprimi: & cum stilo paulatim aperui foramen illud prædictum sub cranio, in quo inveni magnam quantitatem materiæ aquosæ colore lacteo coloratæ, qua evacuata statim cessavit epilepsia, & æger sibi redditus est. Id videns, iterum posui cannulam, & lotionibus syringabam ita ut exiccaretur illa planè humiditas. Et restitutus est sanitati, vixitque postea longo tempore, & ascendit ad apicem Episcopatus. Deum autem testor quòd ipse juraverit semper etiam à principio læsionis habuisse coitum cum quadam ancilla etsi non singulis diebus, alternis tamen; bibisseque; tres phialas aut quatuor malvatici singulis diebus à principio læsionis. Unde credo ego istum fuisse sanatum nutu Dei. Juro etiam quod unus illorum prædictorum quos sanavi in terra Carpi, cujus nomen erat Rumpha eratque villicus, comederit, tempore quo deterius se habebat, singulis noctibus, carnem salsam in magna quantitate cum pane & melle. Nam hic tempore noctis clam surgebat, & capie-

piebat carnes ſalſas non lotas nec à ſale expurgatas, & ſub prunis coquebat eas, & habebat magnam mellis quantitatem ſub lecto & ſic nemine ſciente triumphabat.

Hæc dixi, ut contradicerem iis qui non credunt cerebrum poſſe ſanari, quos rogo ut velint dictis noſtris acquieſcere ſcio enim dignoſcere & cerebrum & ſaniem, & alias medullas.

Quomodo autem vulnera ſint letalia, & quæ ſint letalia aliqualiter dictum eſt in ſuprà narratis. Signa tamen aliqua iterum, ſalutem vel mortem indicantia, addam.

Itaque inter alia ſigna, cum medicus videt febrem & aliquod malorum prædictorum accidentium, cum depreſſione labiorum vulneris, & malo colore, ſine ſanie, arguat indubitatam mortem.

Et ſi videat denigrationem oſſis, quæ non removetur ferro eam fricando, ſignum eſt quod non ſit ex medicina: ſed arguit ſaniem malam & corruptam ſub cranio, quæ ſi corrupit os etiam corrupit panniculum, quia facilius eſt panniculum corrumpi quàm os. Præſentibus ergo prædictis ſignis prædicetur mors.

Vel, ſi panniculus eſt niger, & non eſt nigredo à medicina, ſed quia corruptus eſt panniculus, tunc medicus arguat mortem.

Et hoc ſignum eſt poſitum à Paulo cujus autoritatem recitat Raſis & Avicenna cap. de fractura cranii in fine.

Nota tamen, quod poſſit contingere ut os ſit nigrum, & non à medicina, nec propter corruptionem factam à ſanie contenta inter os & panniculum: & non erit ita periculoſum ut suprà. Quia contingit ut contundatur cranium in aliqua parte venoſa cranii à qua rumpuntur venulæ illæ quæ ſunt in poroſitatibus cranii, & fractura non penetrabit interiorem tunicam cranii, & ſanguis in meditullio cranii, id eſt in poroſitatibus & ſpongioſitatibus ipſius, putrefiet, & ita fiet nigredo in oſſe, quæ non removebitur levi fricatione cum ferro. Itaque cum medicus videt talem nigredinem cum qua non ſint ſæva accidentia, ſit ſolicitus in aperiendo os & in removendo omne quod denigratum eſt, ne illa corruptio deſcendat: poteſt enim ſanari, ſi vero mora interveniat ſuccedet malum.

Sane poteſt, fortè ſanguis ille à medicina exiccari & maximè in corpore mundo & obediente, os tamen illud denigratum neceſſario cadit, id eſt natura expellet (ut communiter facit alia oſſa alterata abire) & à ſanie & à medicinis: vel medicus debet removere uſque ad partem ſanam cum raſpatorio vel alio modo. Tutius tamen eſt ape-

aperire donec removeatur totum os dubitatum & causa nigredinis tollatur, si possibile est. Nam si est à sanie vel panniculo corrupto, facta apertura potest expurgari sanies, & ita fortè sanabitur; potest etiam mundificari panniculus. Quià pluries ego vidi panniculum detectum in notabili quantitate, & alteratum in superficie, ubi cum mundificantibus processum est & ægri sanati sunt. Et hoc apud me fuit verificatum & etiam apud alios operantes, quos ego vidi oculata fide. Non relinquantur ergo tales curæ, quia interdum sanantur aliqui absque spe; ut supra dixit Avicenna.

De signis prognosticis dixit Albucasis: *Considera signa, & si videris ex accidentibus quæ significant significatione manifesta super timorem, sicut vomitus choleræ, & amissio intellectus, & abscissio vocis, syncope & febris acuta, & egressus oculorum, & eorum rubedo & similia iis accidentibus, in pluribus dispositionibus, mortem poteris prædicere, nam moritur æger. Sed si videris accidentia non terrentia spera salutem; & incipe curationem ejus.*

Sed, ut inquit Nicolus, *non febriat, non intensum patiatur dolorem vel gravedinem cum caput elevaverit, nec tunc patiatur scotomiam, benè dormiat, benè se habeat ad*

motiones corporis, & mente lætetur bene appetat, digerat, & assellet: Hinc autem sperans salutem incipe curationem Hanc sententiam dat etiam nobis Hippocrates dum inquit: *Lætari mente, & bene se habere ad oblationes bonum.*

Dicit quoque Nicolus antoritate quorundam, quòd stupor universalis & desipientia, si magna fuerint & perseverarint, sint signa mortis; & nos habemus aphorismum Hippocratis qui idem inquit: *In vulnere aut percussione capitis stupor aut desipientia malum.* Et ratio est in promptu: quia non fit nec stupor, nec desipientia sine nocumento cerebri, quæ nocumenta si magna sint arguunt mortem. Unde Joannes Mesue in c. de stupore inquit: *& si est à percussione aut vulnere non curatur.*

Idem Nicolus inquit, quod rigor in vulneribus capitis, sive cum fractura sive sine fractura & similiter in vulneribus nervorum nobilium eveniens, spasmum futurum prænunciat & mortem. Nam rigor in his casibus causatur ex materia quæ fluxit à cerebro ad nervos, ubi & spasmum faciet & tandem sequitur mors.

Nota tamen quod possit esse rigor in aliquo corpore, in quo sit solutio continui in capite, & non erit signum mortis: quia fieri potest ut rigor sit in tali corpore ab

alia

alia caufa quam à foluta continuitate, nempè à fanie vel apoftemate. Poffibile enim eft, ut fit febris, & continua, & interpolata in tali fubjecto, & febris fit ægritudo, & non accidens ad prædicta; & ab iftis febribus, caufabitur rigor. Et quamvis verè rigor fit à materia extra venas: (fic enim accidit in interpolata febre) ftat tamen etiam ut fit cum continua: quia interdum eft tanta materia, ut natura partem aliquam expellat extra venas. Et fic fit rigor in continua, rigor autem ille aut erit criticus aut paroxifmalis qui venit fecundum naturam paroxifmi; criticus autem aliter, qui quandoque bonus, quandoque malus: bonus eft præcedentibus bonis fignis, malus autem econtra. Nota tamen quòd nunquam fit bonus in die mala, puta in fecunda vel in fexta, & in aliis malis diebus.

Et rigor aliud non eft nifi motus concuffivus lacertorum involuntarius, ad rem nocivam expellendam, ut docet Galenus 5. de accidenti c. 5. & per totum in libro de tremore & rigore; fitque à materia & calida & frigida, vel ut Galenus docet ex motu acutæ materiæ impetuofo fuper fenfibilia membra. Nota tamen lector quod quamvis materia fit frigida, fit tamen acuta, quia putrida.

Conciliator autem probl. 29. primæ particulæ, probl. illo: *propter quid autumno & hyeme aduſtiones magis fiunt in frigidis temporibus, æſtate vero rigores;* dat iſtam diſtinctionem, quòd rigor horripilatio & frigus ſunt quædam diſpoſitiones antecedentes paroxiſmos febrium, quarum materia continetur extra venas, quæ vocantur communi nomine typi, de quibus Avicenna prima quarti dicit: *Horripilatio eſt diſpoſitio in qua invenit corpus diverſitatem in frigore, & punctionem in cute, & lacertis. Frigus vero eſt, ut ſentiat in membris ſuis & dorſis lacertorum ſuorum frigus purum. Rigor eſt ut non poſſit continere membra ſua ex commotione & tremore eveniente in eis motibus involuntariis: & fortaſſe eſt frigus forte.*

Magiſtraliter quoque dicitur quatuor eſſe typos: ſcilicet rigorem qui eſt à cholera, horripilationem quæ eſt à melancholia, & frigus phlegmatis, & timorem communem typum omnibus modis febrium. Et de hoc ſunt hæc carmina:

Eſt triplex typus: rigor, horripilatio, frigus;
Frigus ubi phlegma eſt: rigor eſt cum cholera pungit;
Cumque poros claudit fex ſanguinis horripilabit.

At-

Atque tremor quartus circuit omne genus.

Attende etiam alia ſigna de rigore; nam qui rigent ſunt plumbei coloris ſive lividi: quia eſt abſentia caloris in membris, & ita ſanguis nigreſcit, quia quaſi congelatur teſte Ariſtotele, octava particula problematum problemate primo ubi inquit: *Propter quid rigentes lividi fiunt? an quia ſanguis congelatur propter frigus, congelatus autem nigreſcit?*

Attende etiam alia ſigna, quod qui rigent eorum extrema plus aliis membris frigida ſunt; cauſam reddit idem, eadem particulà problemate quinto dum inquit: *Propter quid maxime extremitates rigeſcunt? an propter coangustationem? nam pori in ipſis anguſti exiſtentes pauci ſanguinis ſunt, ſanguis autem calidus.*

Attende etiam quòd pingues à leviori cauſa rigent quam alia corpora, teſte eodem dum l. Cit probl. octavo inquit *Propter quid pingues vehementer, pinguedine calida exiſtente, rigeſcunt? an propter magnitudinem paſſionis ab interiori calido longe fiunt extrema exterioris frigidi propinqua.*

Conciliator exponit ſic hoc problema; *per magnitudinem dicit paſſionis Ariſtoteles intelligit pinguedinem: quia pinguedo reddit*

animalia de facili passibilia & senescentia, maxime cum fuerit superflua, ut apparet secundo de partibus animalium. Aut quia in se facile est passibilis. Nam pinguedo quamvis sit calida tamen comprimendo & coangustando venas impedit calorem venire ad exterius, & propter frigiditatem talem pingues rigescunt de facili. Inquit etiam, quod quia pinguedine abundantes modicum habent de sanguine, ideo sint frigidi, at tales de facili rigescunt & extinguuntur teste Hippocrati, qui inquit: *Crassi valde secundum naturam citius gracilibus moriuntur,*

Rigentes etiam habent aliud signum, scil· quod eorum voces tremunt & etiam non sunt dearticulatæ, si sit notabilis rigor, teste etiam Aristotele l. cit. ubi probl. 13. inquit: *Propter quid rigentium lingua sicut ebriorum peccat? utrum a frigore congelata & indurata, difficulter mobilis sit? hoc autem accidente non potest explanare. An exterioribus condensatis, propter frigus intrinsecum confluens humidum humectat linguam, propter quod non potest lingua quod sui est officii facere, quemadmodum dictum est de ebriis. An propter tremorem qui est à rigore inordinato motu existente, non potest quæ dicuntur articulare lingua, & propter hoc peccat.*

Quid etiam sit rigor, vide l. 4. Aph. 29. *quibuscunque in febribus sextanis existen-*

tibus, rigores fiunt discreti sunt; & eadem particula. Aphor. 58. *A causone habito rigore superveniente solutio fit*, & ibidem Aphor. 62. *quibuscunque in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur.* Ibi à Galeno & à Jacobo Foroliviensi, & ab Hugone Beneio Senensi & à Turrisano Monacho comment. 11. l. 3. Tech. XI. copiose est explicatum quid sit rigor, qui & rigor est mortalis, & qui non.

Sed rigor factus à vulnere in capite, stante læsione cerebri, vel panniculorum, & stante sanie contenta sub osse, arguit virtutis debilitatem, & consequenter mortem, si perseverat.

Similiter autem dicunt de contractionibus evenientibus in nervis, sic de rigore. Et ego dico quòd etiam potest talis materia causare paralysim, eo modo quo dictum fuit supra, & quòd stante virtute debili contingit indubitata mors, & maximè si vulnera sunt sicca absque sanie, natura seu virtute existente debili. At si natura est fortis, potest adjuta ab arte expellere materiam illam ad nervos transmissam ad vulnus, & æger allevari & sanari; qui vidit dedit de illo testimonium. Hoc ego vidi. Unde licet adsint sæva accidentia, si tamen virtus sit fortis & labia sint convenienter tumida, & sanies exeat multa & bona,

non eſt deſperandum.

Hinc dicebat Hippocrates: *laxa bona: cruda mala.* Et iterum dicebat: *in vulneribus fortibus tumore non apparente malum*, talia autem ſigna non ſolum habent veritatem in vulneribus capitis, verum etiam in omnibus aliis vulneribus.

Inquit Avicenna prima tertii de plaga capitis: *ſeparatio eveniens in dura matre & in ſervativa eſt mala; ſed cum non pervenit ad ventres ſed ad terminum velaminis ſubtilis eſt magis incolumis, & ſi inciſio pervenerit ad cerebrum, & accidit vomitus choleræ, & febris, non ſanatur niſi raro, & ſanior eſt ex iſtis illa quæ cadit ad duos ventres anteriores: illa vero quæ accidit in duobus ventribus poſterioribus eſt peior: omnibus tamen peior eſt quæ eſt ad ventrem medium.* In iſtis verbis concedit etiam Avicenna vulnera cerebri poſſe ſanari.

Signa vero pronoſtica in dolore capitis, arguentia malum ex alia cauſa quam à ſoluta continuitate, ſunt urinæ ſubjugales: quia arguunt ultra vulnus ebullitionem humorum & pletoricam cacochymiam quæ ſi eſt cum vulnere arguit malum. Inquit Hippocrates lib. 4. Aphor. 71. *Quibus urinæ velut ſubjugalium fiunt, his aut capitis dolores ſunt, aut aderunt.* Et Galenus in commento dicit: *Vrina ſubjugalis arguit*

con-

conturbationem in humoribus: & urina prius turbida eveniens alba sine alleviatione patientis arguit phrenesin futuram. Unde 4. Aphor. 72.

Quibus urinæ limpidæ fiunt aut albæ malum: maxime vero si in phreneticis appareant. Si vero in dolore capitis (fiat, à quacunque causa velit, dummodo non fiat à ventositate) & exeat aut sanguis, aut aqua, aut aliud per nares vel os vel per aures, sanantur si natura sit fortis.

Inquit primus magister 6. Aphor. 27. *caput dolenti & circundolenti sanies aut sanguis aut aqua per nares, vel per os, solvit ægritudinem.* Et Galenus commento dicit: *si apostema vel humor causat dolorem sequitur alleviatio: si autem sit à ventositate non sequitur illa.*

Vigiliæ & somnus superfluus in vulneribus capitis malum. Unde 2. Aphor. 3. somnus & vigiliæ utroque modo facta, malum dicitur.

In phrenesi si contingat fluxus hæmorrhoidum bonum. Unde 6. Aphor. 11. *melancholicis & phreneticis hæmorrhoides innatæ bonum.*

In phrenesi si urina aquosa malum. Inquit Avicenna quod qui habet in phrenesi urinam aquosam non evadet à tali ægritudine.

Hip-

Hippocrates in capſula eburnea *ſi ſuper pollice phrenetici veſica oritur certiſſimum eſt ſignum mortis.* Et 7. Aphor. lib. dicitur :

Quibuſcunque cerebrum ſphacelatum, id eſt coruptum , eſt, id eſt jam incipiente mortificari vel gangrenari cerebro , *in tertia die pereunt : ſi vero , hoc effugiunt ſani fiunt ; ſi vero ſit lethargia & ſudor multiplicaverit & illa non minuitur , tunc ſignum eſt mortis , & ſi ſudor eſt frigidus.*

Inquit etiam Philonius : *ſi ſanguiſugæ fronti oppoſitæ illi non adhærent adhibita diligentia ſignum eſt mortis , & ſi applicentur ſternutatoria & non fiat ſternutatio mortale eſt.*

Inquit Raſis l. 15. Continentis. Quod ſi percutiatur aliquis ſuper caput & ei accidat inde ſyncope & vomitus, & ceſſabit inde emanatio ſanguinis & non mitigabitur vitium ſyncopis, morietur.

Nec te fugiat illud ſignum de facie Hippocratica, utrum ſit ſimilis ſano : vel ſi nares acutæ, oculi concavi, tempora plana, aures frigidæ & contractæ, & pulpæ earum inverſæ, frons arida & tenſa, & totius faciei color viridis, ſeu niger, ſeu plumbeus, ſeu lividus, aut pallidus. Iſta ſigna in primo die, non præcedente fluxu notabili ſanguinis arguunt malum : ſignificant enim cerebrum pati & panniculos.

In

In tribus etiam diebus, non præcedentibus vigiliis aut ventris ſolutione aut vomitu aut jejunio, ſi accidant iſta ſigna eſt malum, & neceſſario ſequitur malum.

Per bona ſigna vero in facie apparentia, ſcilicet ſi aſſimiletur ſano & ſibi ſano, non neceſſario ſequitur bonum: poſtea ſequuntur diverſis de cauſis mala accidentia & mors.

Nec te lateat hoc, quod in vulneribus capitis ſæpius contingat ægrum venire uſque ad 20. diem ſive 21. ſine aliquo malo accidenti: at circa tale tempus ſuperveniunt peſſima accidentia, & moritur æger, & hoc ut plurimum contingit, à ſanie retenta in profundo capitis.

Et ego miror, & aliqui alii, cur non ante ſuperveniant talia accidentia quæ judicio meo, ſalvo ſemper validiori, non veniunt. An quia forte ſanies tunc, vel parum ante, incipit aggregari, à ſuperioribus deſcendens per poros cranii: vel ex malo regimine ægri in potu vel cibo, vel aëre, vel paſſionibus animi: vel forte à medico operante indebite: vel forte à virtute illius diei inter alios dies criticos & à ſimilibus. (Et ſuper hoc die & aliis diebus vide Conciliatorem, qui multa de criſi notat differentia centeſima quarta) vel quòd à principio materia cucurrit in lo-

cum, quæ prius non eſt putrefacta fortè per medicinas applicitas vel à virtute illam regulante, & tunc incipit putreſcere, & febrem & prædicta accidentia inferre à quibus cauſatur mors.

Eadem verò de cauſa Petrus de Argelata in ſuo de fractura cranii inquit: *& cariſſimi fratres in fractura cranii non faciatis judicium per pulſum de morte vel de ſalute: quia multotiens eritis decepti.* Ego vero miror de tali dicto, dico enim medicum debere ſemper advertere pulſum ægri: quia in ipſo cognoſcitur & ſalus & mors, immò (quòd plus eſt) à pulſu cognoſcitur hora mortis, ſi benè ſerventur requiſita in pulſu, cum cautela & prudentia. Ipſe enim memini, & habeo in præſenti hora hîc Bononiæ multos Doctores teſtes, me feciſſe prognoſticum de præciſa hora mortis cujuſdam filii Magnifici Domini Jacobi Mariæ de Lino, obſervata regula de pulſu incidente & decidente à doctoribus tradita, judicio tamen exiſtimativò. Non poſſum hoc integrè tradere ſcriptis, niſi quòd ſic proceſſerim: menſuravi primo virtutem in tactu pulſus, & ſingulis ferè horis viſitabam ægrum, & judicabam ſemper pulſum decidere; deinde conſideravi horam ſtatus accidentium & febris: & ponderando virtutem ad deci-

den-

dentiam, addita etiam qualitate diei criticæ venturæ, quæ erat quartadecima, & per indicia habita judicavi ipſum moriturum inter ſecundam & tertiam horam noctis, per ſex dies ante; quia hora illa erat hora ſtatus accidentium & febris. Atque ita revera contigit, licet libentius voluiſſem oppoſitum judicaſſe.

Sileat ergo Argelata noſter, & dicat ipſe & alii, quod pulſus indicat eo modo quo facies; nam bona facies non ſemper bonum, ob cauſas prædictas, & ita pulſus: mala vero facies & malus pulſus malum ſignificant. Et fortè ſic intellexit Argelata prædictus: aliter tamen ſonat literæ ſententia.

Ideo pro honore artis caveant medici à prognoſtico determinato, ſed dicant illud aureum dictum Damaſceni in ſuis aphoriſmis: *Si interrogatus fueris, ſemper velociter reſpondeas, dubitandum eſt.* Et ante omnia ita dicatur coram vulgo: nec præſumat aliquod prognoſticum facere niſi modo prædicto, quia idiotæ intelligunt unum pro alio: unde ſi aliquid, ſiniſtri eveniat, ut contingens eſt, ſoli medico imputatur interitus cauſa.

Non tamen obliviſcatur medicus alium Damaſceni Aphoriſmum, dum inquit: *Oportet autem te infirmo ſalutem promittere*

tere ſemper: nec unquam illum à ſpe deponere etſi ipſe deſperes; complexio enim corporis animi affectui ſemper inhæret.

Non minus præterea in prognoſticando aſpicias oculos ægri quam faciem. Inquit idem Hippocrates: *Etenim ſi lumen effugerint nolenteſque lachrymas effuderint, aut foras tanquam ſuffocato prominuerint, aut alter altere minor apparuerit, aut alba eorum in ſanguinea commutata fuerint, aut tanquam venæ nigriores intus in ſe fuerint, aut extra nimis extiterint aut intus multum delituerint, aut tota facies horribilis apparuerit: hæc omnia periculoſa & letalia judicabis. Oportet etiam te videre, quid de oculis in ſomno videatur. Si enim ſola alba videantur, ſubclauſis palpebris, nec ſolutio aut per ſe aut per catarticum præceſſerit, neque ex conſuetudine hoc evenerit, mortis ſigna timebis. Si vero palpebræ inverſæ fuerint aut lividæ, ſique labia ſimiliter fuerint livida, aut nares diſtortæ, his ſignis, ſive ſolis ſive cum prædictis, mortem proximam judicabis,* cum conditionibus tamen à me ſupra dictis.

Ex modo jacendi etiam judicatur malum & bonum: jacere enim modo ſano bonum econtrario vero malum &c.

Claudendi rivos de ſignis prognoſticis jam tempus adeſt: ad majores fontes vadant qui majora quærunt: ſed ad curam,

ram, ob quam prædicta diximus, transeundum.

CAP. XIV.

Læsionum exteriorum capitis cura.

QUia contingunt capiti vulnera parva & magna, & contusiones, & perforationes, telo, stilo, vel sagitta, etiam sine læsione cranii, primo eorum cura est ponenda, à debilioribus inchoando, ut nihil vel parum intactum relinquatur. Attende tamen lector, quòd de contusione non est confidendum, sicut de perforatione, & de incisione: quia semper ab ea decipiuntur medici & ægri. Dantur tamen etiam contusiones in capite sine læsione cranii & pericranii, sed difficilius cognoscitur contusio quam incisio & perforatio.

Ad quam cognoscendum fiat consideratio causæ lædentis. Contusionum autem aliquæ sunt cum disruptione cutis magnâ vel parvâ: quamvis raro sit magna disruptio quin attingat ad pericranium & ad cranium. Et aliquæ sunt sine disruptione cutis quamvis cutis sit soluta secundum numerum multum: quia cutis est viscosa, & densa, & non

ita facilè rumpitur, ac si esset dura, vitrea, sine viscositate, ut os.

Incipiamus ergo à contusione sine disruptione cutis. Ubi observandum quòd qui recte vult curare læsiones capitis tam leves quam fortes, debeat considerare totis viribus an patiens sit fortis vel debilis, & ætatem, & regionem, & tempus anni, & regimen præcedens, & an sit boni capitis & sit assuetus pati dolores capitis, & à qua causa, & quæ sit ejus complexio totius, deinde quæ sit complexio capitis ejus; & secundum prædicta se gerere in cura, quantumcunque sit levis.

Superveniens ergo medicus levi contusioni sine disruptione cutis, prima horâ abradat pilos, eos humectando oleo rosato cum vino, vel cum oleo communi, vel cum altero eorum, & abrasio sit longe major loco contuso. Et quia in talibus contusionibus sine disruptione fit tumor statim major vel minor secundum causam fortem & debilem, huic tumori succurrendum est isto modo.

Primo fiat diversio phlebotomià, vel ventosatione, vel fricatione partium capiti propinquarum, puta spatularum, inferius descendo ad brachia & per dorsum ad crura: &, si corpus sit plethoricum, prius evacuetur quàm fiant fricationes, cujus cau-

causa est nota: prius tamen applicata aliqua medicina locali in loco contuso; ut melius possint cum quiete ægri fieri prædictæ diversiones.

Advertat tamen quilibet, quòd impossibile sit ut medicus superveniat contusioni prædictæ, quancunque hora adveniat; quin reperiatur materia actu fluxa in locum. Ideoque non est puris repercussivis procedendum: quia hic tumor arguit apostema esse in augmento notabili, quoad cursum materiæ.

Neque enim dubitet aliquis, quod hic non sit apostema: cum hîc sit tumor & solutio continui; & etiam mala complexio; super quo dubio hic nolo conterere tempus.

Nec etiam repercussivis est utendum: quia canonem habemus universalem, quod apostema factum à causa primitiva non debet repercuti, propter clausionem pororum, & majorem conculcationem materiæ in loco.

Nec etiam debemus in istis uti resolventibus, primâ horâ, dum adhuc materia est in cursu; sed intentiones debent esse mixtæ. Unde communiter practicantes primâ horâ capiunt ovum, seu vitellum & albumen simul; (quia hic non requiritur sanguinis constrictio ut solum capiatur albumen)

men) cui addunt aliquid olei rosati, & simul conquassatis, cum stuppa infusa, capiti applicant, prius loco inuncto oleo rosato tepido. Et in primo die naturali bis mutant talem medicinam, & est valde bonum: quia istam mutationem non impedit sanguis, nec aliud quidquam. Et ita sedatur dolor, & ex parte repercutitur cum ovo & oleo, quæ magis dicitur loci confortatio quam repercussio. Et mediante vitello ovi fit levis resolutio, quia est temperatæ complexionis: quamvis aliqui dicant vitellum esse calidum, & albumen frigidum, & totum temperatum. Cui opinioni ego assentio: dico tamen vitellum non multum esse calidum, ut caliditate resolvat. Et ita isto modo ego processi diebus vitæ meæ: & semper mihi bene successit.

In secunda visitatione (sc. in secunda die) addatur aliquid cymini, cum prædictis: & in forma emplastri applicetur actu calidum.

Elapsa quarta die, capiatur mel coctum secundum artem, & in eo donatur cyminum prædictum, & forma emplastri applicatur capiti usque ad finem curæ, & erit conveniens. Hæc ut plurimum terminatur in decem diebus, vel parum ultra; nec dico plus de decimo die, quam de

mi-

minori, vel de majori tempore, sed communiter prædictæ læsiones non transeunt tale tempus, vel ad summum 14. diem, sequens dictum medicorum, scilicet ut plurimum.

Alio etiam modo proceditur; scilicet à principio applicare oleum rosatum, vel camomelinum, infusis in eo tribus, vel quatuor petiis, atque unam super alteram applicare capiti. Vel oleum rosatum, solum tepidum, quocunque tempore, ut citius actuetur; hiemis tamen tempore magis calidum: atque ita ligaturâ retentiva convenienti adhibita, pergere; deinde transactâ quarta, aliquod emplastrum vel ceratum resolutivum loco applicare usque in finem curæ.

Et prædicta olea mutentur bis vel ter in die secundum necessitatem, nam si adsit fortis dolor in loco requiritur frequens mutatio, & non solum petias in oleo infundere sufficit verum etiam requiritur cum prædictis oleis embrocatio, quæ magis penetrat.

Et si dolor esset intensus valde debet medicus considerare doloris causam, & illi se opponere. Nam si causa esset materia in loco aggregata & conjuncta, quæ multitudine sua dolorem inferret, debet medicus cum mollitivis, & anodinis procede-

re: qualia ſunt decoctio altheæ, feminis lini, & fœnigreci: & cum tali decoctione embrocare, vel fomentare, & ex prædictis rebus, decoctis in eâdem aqua emplaſtrum conficere, & capiti applicare impinguando emplaſtrum cum oleo camomillæ, vel cum oleo aneti, vel cum pinguedine gallinæ, vel anatis, & ſimilibus, vel oleo amigdalarum dulcium; talia enim aperiunt poros & ſedant dolorem ſedatione verâ.

Pinguedo enim gallinæ, ut dixi, dolorem ſedat, & etiam reſolvit, maximè ſi inveniat corpus mundum, fluxâ jam materia. Unde inquit Galenus 3. mimiri cap. de difficultate auditus, ubi reprehendit Herophilum, & Apollonium, de medicinis ad dolorem auris, quæ totaliter contrariæ exiſtunt, hæc verba: *Gallinaceus igitur & anſerinus adeps, ſiquidem invenerit corpus praevacuatum, & nondum influentem, operantem phlegmonoſam diſpoſitionem humorum, ſecundum duplicem rationem contulit, ſcilicet mitigativam & curativam. Si vero influente adhuc adducatur diſpoſitione, in nullo quidem juvat, mitigat vero ſymtoma doloris.* Et hæc omnia fiant non omiſſis univerſalibus ſc. phlebotomia, ventoſatione, pharmacia convenienti, vel clyſteribus, ſecundum quod poteſt & debet medicus.

Convenit etiam applicare loco affecto lanam

nam

nam œſypi, cum aliquo ex prædictis oleis; ceſſato vero dolore & à debilioribus ſemper incipiendo, reſolvenda eſt materia. Reſolutivum autem leve hoc eſt :

Recip. œſypi humidæ ℥iij. olei camomillæ ℥ij. pulveris abſynthij & betonicæ ana & fiat emplaſtrum.

Aliud fortius. *Recip. terebyntinæ ℥iij. œſypi humidæ* ℥ij. *betonicæ, matris ſilvæ ana* ℥ß. *cymini ℥j. & fiat emplaſtrum.*

Terebyntina etiam ſola cum cymino eſt mirabilis; vel terebyntina cum tantundem ceræ citrinæ, & ſufficienti quantitate cymini addita, fac. emplaſtrum & loco applica.

Vel *Recip. pulveris ſalviæ & majoranæ, ſtæchados arabici, calami aromatici, roſarum rubrarum, abſynthii ana partes æquales: & cum vino cocto & pauco melle, & modico therebintina, fac emplaſtrum & capiti applica.*

Aliud etiam valde conveniens ſub forma ceroti, quo ipſe utor & appellatur à me cerotum betonicæ. *Recip. therebintinæ, reſinæ pini, ceræ novæ ana* ℥iv. *pulveris betonicæ* ℥ij. *maſtichis, thuris ana* ℥ß. *mumiæ* ℥iij. *fiat maſſa ſecundum artem & extendatur ſuper corio & capiti applicetur.* Hoc cerotum dimittatur in loco per octo, dies, antequam moveatur: deinde muta, aliud

novum cerotum applicando, & videbis mirabilem operationem, etiamsi applicaveris prima hora, non existente forti, dolore.

Aliud cerotum etiam conveniens, & expertum. *Recip. therebintinæ, ceræ, resinæ pini ana ℥iij. liquefiant simul, deinde adde sandarachæ, thuris mastichis ana ʒß. misce & utere prædicto modo, super corio extendendo vel petia.*

Et convenit in istis casibus inter alias medicinas meum cerotum humanum appellatum, cujus descriptionem ponam inferius, cui medicinæ non est par aliud etiam à principio. Ista tamen resolventia, rectius applicantur transacta quarta: sed in primis diebus semper procedatur vel cum oleis vel cum ovo, ut in primis dixi.

Dico præterea, quod interdum erit dolor à materia calida quæ fluxit in locum affectum, quæ fortè erit cholera, & tunc conveniunt valde frigida, ut oleum rosatum cum succo sempervivæ, vel solatri, vel lactucæ, vel nenufaris, vel portulacæ, vel psilii, vel polygoniæ, & sarmentorum vitis, & uvæ non maturæ, maximè in regionibus valde calidis & in ætate cholerica, & in complexione cholerica, & æstiva existente hora.

Papaveris autem & mandragoræ succum

ca-

cavere oportet: non enim absque nocumento infrigidant; valdè etiam stiptica nocent, & si stipticantium necessitas occurrit; parum de eis ponatur. Et ita parum permiscemus mali granati, vel citonii, vel messpili; melior tamen est succus granatorum acetosorum, & etiam valet succus cucurbitæ cum agresta.

Et si timeamus aliqua corpora vehementer infrigidari ab istis (sicut sunt corpora mulierum, & eunuchorum, & infantium, & aliorum carnem mollem habentium, & album colorem,) loco olei rosati administramus oleum camæmelinum. Prædicta omnia sunt antidota Galeni l. 2. Memiri c. de cephalalgia ex adustione, ubi dicit quòd etiam cephalea fit à cursu humorum & vaporum ad caput.

Prædicta autem remedia conferunt in omnibus prædictis casibus: & convenit administrare aliquid aceti cum prædictis, ut medicinæ virtus penetret ad profundum: sive misceatur acetum cum prædictis oleis, sive cum emplastris, sive cum cerotis. Et maximè convenit acetum, ubi non est rupta cutis aliquo modo, vel saltem dura mater non est detecta, ut inquit Serapio de cura sodæ à percussione: *& post illud*, ait, *si velamen retale durum fuerit detectum, fundemus super illud oleum rosatum tepidum*

tantum: quod si non fuerit detectum, & algengemati fuerit sana, addemus oleo rosato parum aceti, & appropinquabimus ipsam matri capitis, ut perveniat ad velamen durum retale; quod si apostema fuerit cum dolore, recedamus ab aceto; quod est, quia si cum apostematibus quæ fiunt in cute capitis, & panniculo circundante super algengemati, non fuerit dolor magnus, tunc possibile est ut quiescat cum oleo rosato & parum aceti. Idem etiam dicit Haly lib. 5. Theor. cap. 10. mirabiliter enim acetum nocet nervis & capiti, si habeat viam latam penetrandi, sicut est quando est plaga & disruptio in capite. Celsus tamen cap. de fractura calvæ utitur aceto, lavando eo capitis membranas, de quo satis mirari nequeo, cum acetum ex se sit aptum dolorem causare sua acuitate. Et alii omnes auctores cavent ab aceto in capite, stante dolore & apostemate: tamen Avicenna & aliqui alii utuntur ipso aquæ mixto, etiam cranio rupto, ad sanguinem constringendum, ut dicetur inferius loco suo.

Galenus etiam secundo Memiri concedit acetum, etiam stante plaga. Dico tamen, quod Galenus acetum solummodo concedat, cum plaga est sine detectione ossis, & non est magna plaga: *Secundum hanc igitur excogitationem*, inquit, *si ipsi grossæ*

grossæ meningæ afferatur rhodinum (sicut in his, in quibus abscinditur aliquid ossis capitis, fit) solum afferimus purum tepidum facientes: quando vero, absque quòd denudetur os, volumus rhodinum, sano existente cranio, per bregma capitis transire ad meningem, permiscemus acetum ad id deducendum, cujus rursus virtutis vehementia exolvitur in via, & in permixtione rhodini. Quia igitur indeterminate Apollonius acetum rhodino misceri jussit, peccavit: cutis enim capitis vel pericranii, quæ est post ipsam, cum phlegminatio fortis fuerit, poterit utique juvari permixto modico aceto rhodino, offendetur autem cum fuerit magna: & dolorem inferet vehementem.

Sed sunt aliqui qui credunt Galenum concedere acetum, stante disruptione magna in capite, cui opinioni assentio, quia vidi experientia acetum magnum inferre nocumentum, nec bene explicite litera Galeni prius posita, loquitur an adsit plaga. Dicit tamen Galenus quod acetum confert in principio, rhodino mixtum: & ego dico idem; sed etiam dico acetum conferre, aliis temporibus, quia si admisceatur medicinis status in casu prænarrato, & medicinis declinationis facit eas penetrare, & hoc est notum omnibus. Volo hæc prædicta sufficere de levi contusione sine disruptione cutis.

Si

Si autem contingat lædi caput, à re contundente, cum ruptura cutis ſine cranii læſione, dico iſtam eſſe leviorem prima: quia ſanguis contuſus habet liberum exitum & poteſt facilius reſolvi, ſenſibiliter vel inſenſibiliter: nam ſtante plagâ exit ſanguis neceſſario. Et ſi non exit ſufficienter, Medicus poteſt aliqua re aſpera labia vulneris confricare, & habebit intentum: quia hic modus ſatis juvat ſi venæ non ſint magnæ.

Et teſte Avicenna hic ſanguis multum confert: nam quarta quarti inquit: *& fluxus quidem ſanguinis, quantitate temperatus confert vulneribus: prohibet enim apoſtemationem, oppilationem, & febrem.*

Hic ſanguis etiam contuſus reſolvitur melius in ſaniem & vapores (ut patet cuicunque experto) ſtante plaga.

Factis ergo univerſalibus, videndum eſt an hæc læſio ſit cum læſione pericranii, vel ſaltem cum detectione ipſius: quia interdum id quod eſt ſupra pericranium contunditur, poſtea putrefit, & cadit, & ſic detegitur panniculus, qui etiamſi ſit alteratus, leviter tamen, cum convenientibus medicinis ſervatur, & carne tegitur.

Si autem pericranium ſit læſum (quod cognoſcitur ſenſu & exiſtimativa) hæc cura non eſt poſt ponenda; ſed indiget me-

dico legitimo, quia periculum eſt ne nocumentum tranſeat ad duram matrem, mediantibus ligamentis eorum, per totum.

Cura ergo ſit talis. In prima viſitatione apponatur clarum ovi cum ſtuppa, & tentæ ſive ſtuelli de ea ſint tales ut dilatetur diſruptio cutis, ut liberè poſſint intromitti medicinæ & ſanies non retineatur. Et ſi cutis ſit (ut ſæpe contingit in tali caſu) in aliqua parte diſrupta, & in aliqua non, ſed tamen attrita ſit hinc inde, & pericranium non ſit detectum, & medicus conſiderata fortitudine cauſæ lædentis & magnitudine diſruptionis & attritionis dubitat an pericranium ſit læſum: ſtatim raſorio, vel alio inſtrumento, debet totam contuſionem dilatare, triangulari figura: quia fortè ſic operando inveniet cranium, de quo forte non dubitabat, eſſe læſum, ſemper enim medicus judicat, quæ verè judicat; magis ſenſu quam imaginativa. Sed neque ferro, neque manu medicus amoveat pericranium à cranio in primo opere, verum detegat pericranium à carne contuſa.

In ſecunda vero viſitatione videat an pericranium ſit contuſum: & ſi poſſit dubitari de cranio, ferro, vel aliquo ingenio, ſeparetur pericranium ab oſſe, ut videatur quid

quid infra illud ſit. Nec dubitet talia facere operator, quamvis ſit membrum ſenſibile: quia paucus fit dolor ſtante prius forti contuſione. Hoc infinities ego feci, & ſic vidi ab aliis operatoribus fieri, & benè ſucceſſit.

Si vero eſſet læſio quæ non poneret dubium de cranio, relinquatur pericranium in loco ſuo, quia vel carne cooperietur vel cadet mundificando, ut requiritur in cura. Et facta tali operatione repleatur vulnus ſtuppa: ex qua fiant tentæ, ſtuelli ſive lychinia (quæ idem ſunt) & in ovo contuſo infundantur. In tali autem caſu, ubi ego non vereor magnum ſanguinis fluxum, capio totum ovum ſimul cum modico rhodini concuſſum, quia magis dolorem ſèdat; & demittantur per diem naturalem, ut ſtuppa bene exiccetur: quia cum magis exiccatur, labia vulneris magis aperta remanent. Et ita medicus melius poſtea operatur in aperto vulnere quam in clauſo & cum minori dolore patientis.

Et hoc ſemper obſervent medici, maximè quando intendunt trepanationem vel aliam operationem, ſcilicet ut labia ſint bene lata, ut operando in labiis non fiat contactus ab inſtrumentis. Ab illo enim contactu cauſatur dolor, qui eſt una ex cau-

ſis cur infirmus nec velit nec poſſit pati tales operationes, imo quod plus eſt, ſi patiatur coactus & cum dolore, dolor ille poteſt eſſe cauſa mortis.

Memoretur etiam quilibet operator, in tali opere interdum incidi venam notabilem capitis; ideo habeat pulveres conſtrictivos & canones conſtringendi ſanguinem ſemper paratos.

Si autem medicus non dubitat de pericranio læſo, imo etiam cutis hinc inde eſt diſiecta & attrita, fracturis ſive diſruptionibus inæqualibus, tunc ex omnibus fiat una eas aperiendo leviter ferro: vel in unaquaque earum ponatur tenta ut apertæ ſerventur, & inde ſanies libere expurgetur, & ut ſupra dictum eſt, cum ovo & ſtuppa in prima operatione curetur. In ſecunda vero viſitatione ad alia localia tranſeundum eſt: quæ localia triplici de cauſa applicantur, primò ad dolorem ſedandum, qui eſt de magis poſternentibus virtutem: ſecundò ad confortandum membrum ne recipiat materiam aliunde, unde fieret apoſtema: tertio ad dirigendum materiam conjunctam, & labia vulneris etiam dirigenda.

Et iſtæ intentiones reperiuntur omnes in oleo roſato omphacino, aromatico & recenti, quod annô illo confectum eſt ut in-

inquit Galenus ſecundo Memiri cap. ſecundo de cephalalgia ex aduſtione. Quod oleum roſatum ſedet dolorem notum eſt omnibus: quia hoc facit ſua unctoſitate poros aperiendo. Quod confortet membrum ſua ſtipticitate, eſt etiam clarum propter immaturitatem & virtutem roſarum, quæ eſt ſtiptica leviter, & ſicca & aromatica. Quod digerat etiam planum eſt, ſua unctuoſitate & temperie, quia convenit in materia calida & frigida. Calefacta enim membra infrigidat & infrigidata calefacit. Digeſtio autem non eſt niſi æquatio qualitatum & ſuſtſtantiæ in humoribus penes medicos, igitur oleum roſatum, eſt digeſtivum, quia perficit prædicta in vulneribus.

Convenit etiam oleum roſatum, ſtante apoſtemate, in augmento. Nam in talibus contuſionibus ſemper eſt tumor. qui in ſecunda die poteſt dici, & etiam in prima, augmentum apoſtematis: & oleum roſatum in tali augmento eſt medicina præcipua ſicut inquit Galenus in libro de ſimplicibus diſtinctione tertio capitulo quinto & ultimo loquens de roſa & de oleo roſato. *Oleum vero roſatum*, inquit *quoniam in natura ſua eſt medium, inter oleum & roſam, tunc eſt de melioribus quibus medicantur iſta apoſtemata in hora augmenti eorum, & ſua*

aſcen-

discensionis. Est illud est, quoniam oleum redificat ea, & confert eis in hora statui eorum, sicut jam ostendi ex eo per experimentum; & dicam causam de hoc in libro de ingenio sanitatis. Verum oleum rosatum, propterea quod est medium inter duas medicinas simplices ex quibus componitur, confert in hora media inter duas horarum, in quibus conferunt. Et illud est, quoniam in principio hora apostematum oportet ut prohibeatur materia, & abscindatur attractio ejus, & in hora status eorum oportet ut resolvatur resolutione cum qua non sit mordicatio, sed in hora augmenti & ascensionis oportes prohibere quòd effunditur de materia, & resolvere quod collectum est ex ea simul. Et hæc est res, quam cum homo audierit, non considerans de eo quod præmissum est de ratiocinatione quam diximus, fortasse non recipit neque veridicat eam. At cum præmissæ sint istæ duæ ratiocinationes; necessario non scio aliquem qui perveniat ad hoc ex ignorantia sua ut neget hunc sermonem, & non recipiat ipsum & vindicet ipsum. Et oportet cum hoc necessario, ut significatio sumpta ex ipsa ægritudine, secundum illud quo medicantur in hora augmenti horum apostematum & eorum ascensionis, significet super duas res contrarias. Et id est, quoniam subita de rebus stipticis, quæ aggregant substantiam mem-

 bri,

bri, & ſtringunt ipſum, ad res quæ mollificant & reſolvunt, eſt horrida neganda. In hora etiam quæ eſt inter principium apoſtematum & eorum ſtatum, propterea quod ſunt in diſpoſitione augmenti, non eſt conveniens ut medicetur cum rebus quæ prohibent & abſcindunt attractionem penitus, ſicut fit in eis in principio ipſorum: neque ut medicentur cum reſolutivis rebus, ſicut fit in eis in hora ſtatus ipſorum; immo ſicut in horis ægritudinis eſt medium inter duas horas unicuique earum partium: ſimiliter oportet, ut ſit medicina quæ adminiſtratur in illa hora, media. Non ergo facit ſtipticitatem, ſicut faciunt medicinæ quæ adminiſtrantur in principio: neque reſolvit, ſicut eſt reſolutio medicinarum quibus curatur in hora ſtatus, omnis autem res quæ eſt media inter duo contraria, eſt permixta ex utriſque & ita eſt oleum roſatum.

Vides lector ex verbis Galeni quantum valeat oleum roſatum in prædicto caſu, ſi bene rimeris prædicta. Oleum roſatum ergo eſt de melioribus medicinis ad prædicta vulnera capitis: nam ſedat dolorem, & confortat membra, & reſolvit. Et tale oleum admiſtratur purum, infundendo petias in eo, & fila. Et totum caput inungitur, maximè per totum tempus augmenti apoſtematis.

Sed

Sed dicit aliquis nonne etiam confert oleum rosatum in vulneribus aliis in quibus non est contusio, & consequenter in eis ubi non est talis prædictus tumor? quia Avicenna & alii doctores utuntur oleo rosato etiam in detectione panniculorum, ut non fiat apostema: immò Galenus in fine sexti Therapeuticæ, laudat medicinam doloris sedativam in vulneribus capitis, ut est oleum rosatum, & dicit medicos Romanos eo fuisse usos.

Dicendum est: quòd oleum rosatum conferat etiam in aliis vulneribus, quamvis non sit ibi apostema. Nam in vulneribus capitis, & aliorum membrorum, requiritur doloris sedatio & repercussio humorum à membro, & membri confortatio, & materiæ in labiis vulnerum contentæ aliqua digestio; & talia sunt in oleo rosato; igitur est præcipua medicina in prædictis vulneribus. Sed convenit in principio vulnerum, quod principium extendit se in vulneribus magnis usque ad securitatem apostematis, & parum ultra, quod tempus est circa decimum diem. Et hoc ego intelligo in vulneribus quæ non sunt composita cum aliis ægritudinibus, vel aliquo accidente curam impediente. Sed de isto modo administrationis olei rosati latius dicemus infra suo loco.

Notanter autem dixi, in magnis & notabilibus vulneribus: quia parva vulnera parvam habent considerationem, quamvis etiam oleum rosatum conferat in parvis. Hæc principalius dicta sunt pro magnis quia parva facile curantur. Et si bene hic de parvis vulneribus sit sermo per ea hæc non sunt dicto: sed magis disputandi & veritatem inquirendi gratia dicta sunt quæ etiam medicinæ pro majori parte conveniunt stante fractura cranii.

Nota tamen quod sint multi qui à principio utuntur in istis vulneribus oleo rosato & vitello ovi, & in forma unguenti, applicant loco, & circumcirca cum oleo rosato inungunt vulnus; quod ego non multum laudo, quia ovum est facilè putrescibile, & quantum possumus debemus in vulneribus capitis putredinem aufugere, & prohibere ne putrefiant panniculi, igitur plus laudo oleum rosatum purum. Neque verò convenire ovum poterit nisi tantum, in digerendo labia vulneris. Nullo autem modo debet administrari in profundo, osse detecto: sed potest applicari in vulneribus, & perforationibus, & contusionibus quæ sunt sine cranii detectione. Et hoc fieri vidi pluries & bene successit. Plus tamen laudo oleum rosatum purum in quocunque casu.

Sunt

Sunt aliqui alii qui utuntur therebintina mixta cum vitello ovi à principio. Sed etiam ille modus non eſt bonus : quia in therebinthina eſt aliquid nitroſi & aperitivi, nec eſt virtus ſtiptica in ea, nec fit repercuſſio ab ea, quæ eſt neceſſaria in omnibus vulneribus capitis, ut patet conſideranti. Quamvis ergo therebintina ſit de melioribus medicinis ad vulnera nervorum, non tamen eſt judicio meo conveniens in tali caſu, maximè ideo quia etiam non reperio aliquem ex antiquis medicis qui uſus fuerit eâ in vulneribus capitis. Parcant igitur qui ea utuntur. Etſi autem benè cum ea ponerent oleum roſatum, vel circa vulnus uterentur oleo roſato, therebintina tamen non placet mihi à principio propter prædicta. Et quamvis aliquibus bene eveniat hoc eſt per aliud, quia etiam errore ducti interdum ſanant.

Reperiuntur & alii, qui utuntur emplaſtris ſuis calidis, & etiam ſiccis à principio, quos ego non laudo propter prædicta. Sunt & alii qui certis diſtillationibus calidis cum aqua vitæ utuntur quos etiam deteſtor: (quamvis aliqui ægrorum evadant.) Nam hi non ſolum peccant in localibus, verum etiam exhibendo diætam groſſam cum vino & carnibus.

Cum vero prædicta vulnera ſunt ſecura

ab apoſtemate carne repleantur, lavando ea vino mellito & applicentur unguenta carnem generantia quale eſt unguentum baſilicon, & unguentum raſinum, id eſt citrinum uſuale; vel meum unguentum capitale infra deſcribendum de matriſilva appellatum, pulveres item carnem generantes qualis eſt pulvis factus ex ſanguine draconis, myrrha, aloe, farina orobi, & ſarcocolla & thure & myrtilis: & his ſimilia. Cum vero ſunt carne repleta debet adminiſtrari aliqua medicina cicatrizativa, ſicut eſt unguentum de minio, vel de litargyrio, vel de tutia, vel de ceruſa, coctis talibus unguentis, & ad formam ceroti deductis. Non debent autem adminiſtrari talia unguenta, niſi vulnera ſint carne repleta totaliter. Quia etiam interdum caro creſcit ſuperflua, debet medicus illam ſuperfluam carnem cum unguento apoſtolorum removere, vel cum alumine zucarino, vel alumine uſto, quod longè melius eſt cæteris prædictis. Nam alumen tale uſtum leviter aſperſum carnem ſuperfluam exiccat & cicatrizat, ſuprapoſito poſtea aliquo ex prædictis unguentis.

Sed ego ſæpè utor aliquo ex prædictis cerotis, vel meo ceroto humano, vel aliquo alio ceroto, (puta ceroto de betonica, quod

quod est singulare) usque quo completa sit sigillatio: & ita factâ cicatrice relinquo per octo dies aliquod prædictorum unguentorum vel cerotorum super cicatricem, ut ingrossetur & plus induretur illa caro callosa.

Et sic sit finis de vulneribus capitis, & de contusione sive fractura cranii.

CAP. XV.

De cura læsionum carnis & cutis capitis.

QUia contingit etiam caput vulnerari sæpè sine læsione cranii, cum deperditione cutis & carnis, curam ipsius ponere destinavi. Et primò dico quod præmissis universalibus, & constricto sanguine, & sedato dolore, administretur medicina mundificativa lenis, sine mordicatione, sicut est oleum rosatum & mel rosatum, minuendo simul quotidie de oleo usque quo veniatur ad mel rosatum purum. Meum etiam unguentum capitale est singulare. Valet etiam unguentum Basilicon majus & minus. Facta autem mundificatione simul cum melle rosato ponatur aliquid mastichis & sandaracæ, vel thu-

ris, vel de omnibus, ut vulnus carne repleatur, cum verò eſt in termino ut poſſit conſolidari ſive cicatrizari, adminiſtrentur cicatrizantia prædicta.

Replent etiam carne iſta vulnera ſucceſſu miro: ſanguis draconis in lachryma ſic appellatus, thus, farina orobi, & ſimilia mixta cum therebintina, cerâ & oleo roſato vel mirtino, & cum prædictis pulveribus unguentum facere eſt valde conveniens.

Poſſem ego hîc multa unguenta & emplaſtra ponere pro vulneribus capitis, ſed illa ſuo loco relinquo: quia ponam & potiones, & aquas, & emplaſtra, & cerota, & pulveres, & alia neceſſaria infra in cura vulnerum capitis, ubi ponetur cura per inſtrumentum potionis.

Scias tamen lector, quod in vulneribus capitis & etiam in aliis membris, poſſit adminiſtrari medicina in forma pulveris, maximè ſi intendit medicus cito ea carne replere, quia citius replentur à pulvere quam ab alia forma medicinæ (& hoc experientia longo tempore vidi) verùm oportet ut vulnera ſint talia, ut pulvis poſſit poni in fundo ipſorum. Unguenta enim, & aliæ medicinæ in forma liquida, petunt fundum ſtatim cujuſlibet vulneris & ulceris, pulvis autem non; ſed ſi pulvis poteſt po-

poni in omnibus vulneris partibus citius generatur caro quam alia medicinæ forma.

Et hoc considerans Avicenna quarta quarti c. de nascentia carnis in vulceribus, dixit : *& creatio quidem carnis in eis cum emplastris convenientior est & tardior : sed cum pulveribus difficilior & velocior.* Ubi notat Dinus, & bene quidem, quod Avicenna dixerit difficilior ob rationem à me supra dictam nempè quia cum difficultate medicina in forma pulveris petit fundum & alias partes vulneris, ideo carnis generatio cum unguentis & emplastris est convenientior & facilior, quia unguenta penetrant melius in quamcunque partem ulceris Ponantur ergo in ulceribus superficialibus pulveres & non alibi.

Si autem contingat vulnerari caput non amota carnis substantia, nempè si cutis pars magna sit incisa sed non totaliter remota à loco, & quidem ita ut vivat cutis prædicta, consideret medicus figuram vulneris, & si indiget sutura, suatur in decliviori parte, relinquendo tamen aliquod orificium apertum cum tenta, ut si aliqua sanies generetur possit liberè mundificari. Et hoc intelligitur si vulnera non sint in suprema capitis parte, quia si essent in suprema parte, sanies posset multa in-

ducere accidentia, nam hoc loco ſanies non expurgatur ſicut à lateribut. Teneantur autem tentis aperta ſecundum artem ſine ſuturâ.

Intelligas tamen, cum talia vulnera ſint ſine cranii læſione, quod curentur ut vulnera ſimplicia, ſemper præponendo univerſalia & capitis abraſionem, ut localia poſſint applicari loco affecto. Itaque oleo roſato omphacino, in quo ſit quarta pars therebintinæ vel olei abjetini, tepido in quocunque tempore, magis tamen calido in hyeme, inungatur vulnus: & circum circa & ſuper ſuturam, ſi ſutum ſit, ponatur pulvis conſolidativus vulnerum ſimplicium, & conſervativus ſuturæ, qui fit ex mumia, ſanguine draconis in lachrymâ, & thure: hic enim mirabiliter conſervat ſuturam & conſolidat vulnera recentia. Sunt qui addant pilos leporis & maſtichem: alii & myrrham, in duplo tamen ponunt de ſanguine draconis & mumia. Atque ita conſolidantur talia vulnera, ſed adhibita convenienti ligatura conſolidantur; quamvis enim non benè in capite poſſit fieri ligatura incarnativa propter formam capitis rotundam tamen etiam in capite medicus diligens & legitimus facit expreſſivam & incarnativam ligaturam, quamvis ſit aliquo modo mendoſa. Tales

plu-

pluries ego vidi fieri, & feci: melius tamen fiunt tales ligaturæ in aliis membris.

Sunt qui non laudant suturam in capite, quamvis cranium nec almocati sint læsi: dicunt enim quod raro consolidentur talia vulnera ut simplicia, & quod si periculum maximum si generetur sanies in illis vulneribus ne illud corrumpat panniculum & cranium; quare volunt debere fieri unionem labiorum non completam cum ligatura levi, & vulnus tenendum esse apertum cum tentis, & ita curandum ratione prædicta sicut vulnus compositum: Nam facilè sic curari.

Huic parti ego respondeo, & dico me vidisse curare & curasse plures similes casus cum sutura & ligatura, orificio tamen dimisso in parte declivi, ut prædixi, & isto modo operando, cum cautela, benè succedet. Quod autem sutura possit fieri in vulneribus exterioribus est clarum quia etiam fit sutura si talia vulnera ad intra penetrent nam l. 15. Continentis cap. v. in fine autoritate Tabri dicitur: *quod si ruptum fuerit os & apparuerit panniculus qui est super cerebrum, fiat effusio super fissuram de oleo rosato tepefacto: deinde extremitates vulneris suantur, & aspergatur super illud de pulvere prædicto, & involvatur pannus in albumine ovi & adhæreat ei: de-*

inde

indè ligentur ſuper ea pallotulæ infuſa in vino & oleo ex utraque parte, & diſſolvatur quolibet die bis aut ſemel.

Prædictam ſententiam ponit ferè per eadem verba Serapio de cura ſodæ à percuſſione: *quod apparet* inquit, *quod os ſit fractum tunc non eſt poſſibile ut redeat ad diſpoſitionem naturalem: oportet ergo ut ingenietur in re ejus cum rebus quæ ſtent ei ſtatione incarnationis, & eſt ut calefacias oleum roſatum & fundas ipſum ſuper locum ejus, & connectas duo labia fiſſuræ quæ eſt in cute aut panniculo adinvicem, & ſuas ea cum filo ſetæ groſſæ aut lini, poſt ſuturam vero adminiſtra hunc pulverem cujus præmiſſa eſt rememoratio, & permiſce cum vino pontico aut albumine ovi, & line ex eo ſuper pannum lini, & annecte ſuper locum dolentem poſt ſuturam, & conſtringe locum conſtrictione bona, & ſolvatur in omnibus duobus diebus, & fac cum eo illud donec reſolvantur apoſtemata, & conglutinetur percuſſio &c.*

Quia ſuperius dictum fuit, aſpergi debere pulverem poſt ſuturam, hic eſt pulvis deſcriptus à Raſi: *Recip. de aloe, vitriolo, camphora, ſanguine draconis, & de balauſtiis;* non ponitur doſis. Hic vero eſt pulvis Serapionis: *Recip. aloes & ſarcocollæ ana ℥j. farinæ thuris (i. e. furfuris corticum thuris) ℥ij. ſang. draconis ʒß.* aliqui

qui ponunt omnium æquales partes &c.

Sed ut ad noſtrum revertar negotium credo ego ſuturam à prædictis autoribus factam eſſe periculoſam, etiam ſtante in parte declivi vulneris orificio aperto, ut fit in aliis vulneribus, maxime ſi adſit notabilis fiſſura in cranio: in exterioribus verò vulneribus poteſt fieri ut apparet per dicta & dicenda.

Sed medicus, ſic operando cum ſutura, debet ſuere à lateribus capitis tantum & non supremà parte in qua facilè retinetur ſanies propter ſitum, in lateribus vero ſuapte ſponte expurgatur: debet etiam eſſe intentus ad accidentia, puta an ſuperveniat febris, vel apoſtemetur locus, vel retineatur ſanies, & illis viſis removeat puncta ſtatim, & res benè ſuccedet. Quamvis etiam generaretur aliqua ſanies in loco, & retineretur à ſutura, hinc tamen non moritur æger, maximè ſi cranium ſit detectum; ſed facta diligentia in extrahendo ſaniem ſanabitur. Suatur ergo ſi ſutura indiget, & ut ſupra dictum eſt procedatur.

Quod autem ſanies retenta à ſutura non ſit ita verenda ſicut dicunt aliqui, patet expreſſe: quia nos videmus multa apoſtemata fieri, maximè in capitibus puerorum, in quibus eſt multa ſaniei quantitas,

ſi...

nec per hoc moriuntur, nec etiam illis venit febris, de quibus apostematibus ego perforavi plusquam mille & sanavi. Tanto autem plus dico saniem non esse verendam, cum videam pueros illam pati sine prædictis accidentibus; & tamen ipsa sanies sit magis apta lædere pueros propter mollitiem ipsorum, & alias causas quas brevitatis causa silentio prætermitto.

Nota tamen lector, quod dixerim suturam fieri debere ubi os non fuerit læsum aut pericranium: quia, si in tali casu fieret sutura, stante osse læso esset mortis causa: debemus enim detergere & aperire, non autem claudere & suere vulnera. Deum tamen testor, me vidisse unum casum quem narrare vix audeo ob magnitudinem. Dum essem juvenis accidit Carpi ut quidam Bernardinus Spacinus vulneraret Bernardinum Vicentinum (ambo autem erant milites Illustris Domini Marci Pii de Carpo) telo vulgo dicto roncha, & totaliter os frontis à superiori ad inferius usque ad supercilia separaret, ita ut cranium esset annexum cum cute frontis, cutis tamen circa supercilia non esset separata totaliter, sed incisa in superiori parte tantùm & à lateribus. Et ita os & cutis frontis cooperiebant oculos patientis. Ad hunc vulneratum accessit genitor meus,

&

& ſtatim amovit os à cute frontis: & os illud erat latum & longum ſicut tota frons & dura mater non erat in aliqua parte læſa. Et ſtatim amoto oſſe ſuit cutem frontis in loco ſuo, ſine aliquo ſpiramine, & appoſuit albumina ovi cum ſtuppa. In ſecunda viſitatione applicuit meum cerotum quod humanum appellatur, à me inferius deſcribendum, & conſequenter ſimul in die mutabat cerotum; & in decem diebus hic fuit ſanatus, tanquam ſi fuiſſet vulnus ſimplex. (Certè apparent interdum miracula in natura) & iſte vixit longo tempore, & ſemper apparuit motus diaſtoles & ſyſtoles in loco in quo deficiebat os.

Hæc dixi ut faciam medicos animoſos in curandis ægris, quia ipſis interdum magna contingunt, ſivè hæc accidant à medico ſive ab ægro propter aliquam ſiderum qualitatem, vel aliundè: multum enim, ut inquit, Celſus confert fortuna in curandis morbis. Sint ergo medici prompti in operando, & non deſiſtant à neceſſariis propter cauſas prædictas ab Avicenna cap. de ſagittis extrahendis, ut ſupra diximus.

Si autem vulnus eſſet tale ut non indigeret ſuturâ, & eſſet ſimplex, curetur curâ vulneris & ſimplicis prout vulnus eſt. Sed quia talia vulnera ſimplicia tranſeunt

ſæpe in ulcus & fiunt compoſita, quia alterantur ab aëre, tunc curentur ut compoſita. Ut autem hæc rite fiant recurrant medici ad principem noſtrum Avicennam ubi de vulneribus & ulceribus facit propria capitula: hîc principalius tractatur de cranii fractura.

Quod ſi vulnera ſint à ſagitta & à re perforante alterius ordinis curentur ut ſimplicia quia talia vulnera ſimplicia & non compoſita appellantur, ſi ſint (ut dixi) ſine cranii & pericranii læſione, & ſi ſint recentia ſine aëris alteratione, & ſine alia cauſa vel accidente vel ægritudine mixta.

Laudat autem Albucaſis in talibus vulneribus ſimplicibus oleum roſatum cum vino ſtiptico. Et Galenus tertio catagenis, ut dicitur lib. 15. Continentis, inquit: *ſi plaga eſt modica curatur myrrha, aloë, & ſecura fiet conditio apoſtematis.*

Inquit Serapio: *ſi plaga fuerit in cute capitis, tantum ſuper aſpergatur pulvis ireos, & ſanabitur: quod ſi fuerit concava uſque ad os, curetur cum mirto, myrrha, thure, & aloë, & ligetur & non diſſolvatur niſi in quatriduo.*

Dixit Avicenna cap. de fractura cranii. *Vulnerum autem capitis uſque ad terminum almocati cura eſt illa quæ jam dicta eſt in capitulo ulcerum & ante ipſum* ſcilicet capitu-

tulum: quia ante ulcera tractat de vulneribus; in quibus capitulis ſtat omnis bonus modus curandi prædicta vulnera & etiam aliorum membrorum.

Et idem Avicenna quarta quarti tractatu primo cap. 12. & ultimo de curatione vulnerum Alſehigi (id eſt capitis) inquit: *regimen quidem oſſis in eis, & quid accidat ex accidentibus eorum timidis, jam dictum eſt in cap. oſſium, & algebra verum in incarnativis ulcerum eorum, & quæ ſunt extra ea, ſufficiunt qualibet medicinæ exiccativæ; leves pulveriſatæ ſuper ea ex medicina, & medicina quidem eſt facta ex aloë, myrrha, olibano & ſanguine draconis: & ſimiliter medicinæ leves prædictæ in vulneribus. Quod ſi fuerit illic curſus ſanguinis, tunc curetur cum eo quod diximus in capitulo fluxus ſanguinit.*

Albucaſus etiam inquit: *ſi talia vulnera ſunt parva pulveriſes ſuper ea de olibano partem unam, de ſanguine draconis duas, de calce viva tres; conſtringatur vulnus & ſuprapone pulverem & non ſolvatur: quia ſi non apoſtemetur citò, curatur, & calx ſola facit illud.* Sed talis pulvis convenit hyeme magis.

Galenus etiam in Catagenis laudat farinam hordei, cum unctuoſitate lanæ humida (id eſt œſypo) farina hordei, &

mentaſtro montano. Laudatur etiam calamenium montanum.

Nicolus inquit quòd interdum accidat ut in contuſione cutis à cranio ſeparetur: & eam ſanant, & faciunt adhærere loco ſuo folia olivarum contuſa, & cum vino optimo emplaſtrare locum.

Dixit Avenzohar: *ſi vulnus vel contuſio venerit uſque ad panniculum exteriorem capitis, & non ceſſet dolor per appoſitionem olei roſati cum lana, adde medietatem ſui de oleo vitellorum ovorum.* Et inquit, *quod læſio talis panniculi ideo ſolicitè attendenda ſit ne fiat apoſtema.*

Laudatur etiam decoctio corticum glandium, vel caudæ equinæ in aqua cum melle, vel in vino ſi & hæc vulnera laventur & ſupra ponatur unguentum de palma.

Quidam laudant vinum cum ſale tantum. Alii faciunt emplaſtrum cum cymino, aniſo, baccis lauri, & pulvere thuris & maſtichis, deque iſtis parùm & furfuris multum cum prædicto vino miſcent, & totum caput tegunt.

Sed & vidi ego multos Germanos ſolo ſale replere ſibi vulnera capitis etiam magna, & ſanati ſunt brevi tempore.

Prædicta volo ſufficere pro cura vulnerum læſionum prædictarum exteriorum

ca-

capitis ; & si ibi supra dicta sunt aliqua quæ etiam spectent ad curam intrinsecarum læsionum, illa dixi quia non magna est differentia inter medicinas utrisque convenientes, imo interdum constat medico solum de læsione extrinseca cum adest etiam intrinseca. Non enim absurdum est prædictis medicinis tam intra quam extra uti, ut constat perito & experto medico.

CAP. XVI.

De diæta in genere observanda in vulneribus interiorum capitis partium.

EXpedita cura solutæ continuitatis exterioris capitis, ad læsiones particularum intrinsecarum deveniamus, Primò ponendo curam per diætam: Secundo per potionem: Tertio per opus manuale, seu per chirurgiam.

Exordium autem capiam à diæta quæ aliud non est nisi ordo. Dico diætam hic loci in se continere regimen & nutrientia, quæ à medicis dicuntur res non naturales, & sunt sex, quibus si debitè utatur homo in quantitate & qualitate, in tempore & ordine res conservabit naturales; si autem aliter, fiet illi morbus, & si æger est,

ejus conſervatur & augmentatur morbus.

Horum omnium teſtis eſt Haly l. 5. Theoricæ cap. ſcil. *Dico ergo* (ait) *quod non naturales res quædam ſunt & cauſæ quibus homo indiget ut vita ejus duret, & ſunt ſex. Primum omnium eſt aer corpora circundans: Secundum eſt motus & quietis genus; Tertium eſt ciborum & potuum genus: Quartum ſomni & vigiliarum: Omnium evacuationum naturalium & conſtipationum: Sextum animalium accidentium eſt genus.*

Porrò ſub evacuationibus naturalibus balneum continetur, & coitus, & urina, egeſtio, emunctiones, & ſimiles his evacuationes naturales; ſub animalibus autem accidentibus, gaudium, ira, triſtitia, cura, timorque concluduntur. Hæ etenim res, quemadmodum minimè naturales ſunt, nec generationi hominis cooriginales: ſic & minimè extra naturam nec coalienæ. His ergo ſiquis quemadmodum oportet utatur & juſta proportione in ſingulis corporibus, in quantitate, qualitate, tempore & ordine, res conſervantur naturales in ſua habitudine, & generales illis fiunt, roboraturque corporis ſanitas uſque ad naturalis horam corruptionis; ſi autem aliter quam oportet quis illis utatur, naturalem egreditur habitudinem, fitque illi morbus, & ſi quidem infirmum eſt, ejus ſtatuitur mor-

morbus & augmentatur. Turiſanus tamen tertio comment. Technes 7. vult tantum duas conditiones in rebus non naturalibus eſſe attendendas, ſcilicet qualitatem & quantitatem debitam: tempus verò & ſubſtantiam, & modum offerendorum reducit ad prædicta duo, quia tempus in medicina nihil facit niſi ut ab eo, tanquam â ſigno, exhibeamus debitam qualitatem & quantitatem.

Prædicta omnia recitat Galenus medicorum dux 3. Artis commento quintò. *Eſt igitur* inquit, *unum quidem ex continente nos aere: alterum vero ex motione & quiete & totius corporis & ſecundum partem: tertium vero ex ſomno & vigiliis: quartum ex his quæ offeruntur; quintum ex his quæ egeruntur & retinentur: ſextum ex animæ paſſionibus &c.*

Prædictas etiam ſex res numerat Princeps Avicenna ſecunda prima cap. de cauſis, in fine.

Cap. XVII.

Regimen aëris, in vulneribus interiorum capitis partium.

CUra igitur vulnerum capitis per diætam incipienda eſt ab aëre ſicut prior eſt poſita in ordine ab Haly, & ab aliis. Dico autem aërem eſſe eligendum calidum, ſive ſit calidus ex ſe ſive per accidens, quia omne frigidum eſt ſummè nocivum membris capitis teſte Avicenna cap. de fractura cranii, qui inquit: *Et ſtude ne frigus accidat velamini*, alibi etiam in eodem capitulo dicit: *in omni diſpoſitione oportet ut vehementer caveatur frigus etiam in æſtate, quoniam eſt in eo timor magnus;* frigiditas namque aëris poteſt cauſare apoplexiam & multa alia ſæviſſima accidentia de quibus aliquid meminimus ſupra locis ſuis, & etiam cauſabit apoſtema calidum ſive per ſe, ſive per accidens, quia mordicando ponit humores in motu qui fluentes in capite faciunt apoſtema.

Ulceribus quoque frigidum mordax inquit Hippocrates, & Galenus ibidem: *ſenſus horrens ſua contraria monſtrat, & ubi ſunt ulcera per cutis abſentiam de facili frigiditas penetrat ad ſenſuum membra & mordet, &*

ita

ita fit humorum agitatio, *& tandem* (ut ſupra dictum eſt) *apoſtema cauſatur*, *& fiunt rigores ſpaſmi*, *tetani*, *& febres*.

Inimicum etiam eſt frigus nervis membris teſte Hippocrate lib. 4. Aphor. 18. Ubi inquit : *Frigidum vero nervis inimicum*, *oſſibus*, *dentibus*, *cerebro*, *& ſpinali medullæ : calidum vero utile & amicum*: Nam inter alia nocumenta prædictorum membrorum, quia exanguia & frigida naturaliter ſunt frigus calorem eorum naturalem ſuffocat, exterminat, & extinguit.

Per frigidum autem nocivum ulceribus, vulneribus & prædictis membris intelligas frigidum actu, non autem potentia : in potentia enim frigida, quia ipſis ſunt ſimilia, amica ſunt : complexio enim capitis frigida eſt.

Et quia ſæpiſſime in prædictis membris ulceratis eſt lapſus ad calidum, convenit frigida medicina ut naturalem conſervet complexionèm, & lapſum contemperet vel removeat : ſed actu ſit calida, calidior tamen & remiſſior temporis menſuratâ qualitate.

Quod à frigido cauſetur apoſtema calidum teſtis eſt Raſis lib. 15. Continentis autoritate Pauli : *dixit*, *accidit apoſtema calidum panniculo groſſo aut ex oſſe acuto pungente ; aut ex ponderoſitate pannorum &*

ligatura, quæ adſunt ei: aut ex frigore affligente: aut eo quòd non attenuatur regimen, unde ſuperabundat nutrimentum, & quod potus vini fiat ſuperabundans &c.

Eandem ſententiam ponit Haly lib. 9. Theoricæ cap. 81. qui inquit: *hoc autem apoſtema huic accidit operimento, aut cauſa fruſti alicujus oſſis quod ipſum ſuo pungit acumine: aut ligationis & conſtrictionis vi, & lychniorum quæ apponuntur: aut cibi multi copia: aut ex frigore vel calore.*

Prædicta omnia etiam memorat Princeps capitulo præallegato. *Et non accidit* inquit, *apoſtema calidum ſiphac niſi, aut propter os eminens ſub eo: aut propter gravitatem tentarum: aut propter frigus: aut propter multitudinem cibi vel vini: aut propter aliam cauſam occultam.* Ubi Avicenna *per cauſam occultam* intelligit cauſam intrinſecam humoralem, puta repletionem; vel forte cauſam corporalem, pura malam complexionem: vel forte utrumque.

Et quamvis dictum ſit frigiditatem cauſare apoſtema, non tamen ptopterea debemus uti aliqua re valdè calida, quia caliditas excedens etiam calidum inducit apoſtema teſte Haly loco citato.

Sit ergo aër tepiduus ad calidum declinans, ſicut meminit Raſis, ut ſupra, Pauli autoritate, dum inquit: *& cura fiat*

ce-

celerior in loco tepido ne infrigidetur siphac cerebri &c.

Et caliditas aëris non solum causat apostema panniculorum & cerebri, sed etiam ephemeram & putridam, faciendo humores ebullire: quin ab eodem fit æstuatio & resolutio virtutum. Quod considerando Avicenna secunda primi capitulo primo inquit *aër calidus dissolvit & laxat.* Ideo & l. 3. ingenii dicitur: *considerandus est aër circundans infirmum, quoniam affligit corpus medicina.*

Debemus ergo uti aëre in vulneribus capitis non frigido, ne contingant prædicta: nec multum calido; consideratis semper complexione, ætate, regione anni, tempore, & aliis similibus, consideretur etiam an febriat an calidum patiatur apostema, & similia, qui indigemus alteratione ad contrarium, cum omnis cura perficiatur contrario, sed sæpe indigemus aëre temperato, in quantum servatur complexio si sit æqualis. Si vero complexio est inæqualis aër ex parte sui debet esse talis ut sit sufficiens æquare. Unde inquit Avicenna secunda primi capitulo quarto de judiciis temporum: *unumquodque etiam tempus complexioni ægrotæ conveniens ipsius contrarium est.*

Testis etiam hujus rei est Galenus dum

l. c. commento 10. & 11. inquit: *quando vero distemperatum fuerit continens, in tantum & contemperantias minui oportet in quantum & eucrasia corrupta fuerit, considerationes vero contemperantiæ in continente hæc quidem sunt, neque rigere per frigus neque sudare per æstum.*

Adverte lector, quod quamvis sententia Galeni adducta sit de sanitate conservanda, potest tamen etiam reduci ad ægritudinem removendam; quia, sicut simile administratum simili debito modo conservat in suo esse sibi simile: sic in remotione contrarii contrarium efficax est. An verò id fiat formaliter aut effectivè, optime determinat Hugo quarta primi. Et quamvis Galenus in prædictis magis exemplificet de aëre contemperando secundum eucrasiam mutatam, tamen etiam intelligit de aliis sex rebus non naturalibus, ut inquit Haly Rodoam prædicta exponens, licet aliter sentiat Plusquam commentator.

Sed quia prædictam sententiam seu regulam non possumus servare in vulneribus capitis, nec in vulneribus nervosorum membrorum nec frigidorum, ideo tale dictum intelligatur cum cautelâ: quia si ponatur quòd sit vulnus in capite cum febre, non debemus uti uno & eodem aëre, sed stante febre aliqualiter declinabimus à cali-

di-

ditate aëris, ſine febre vero aliter ad alia accidentia reſpectum habendo: ſed nunquam concedimus aërem frigidum, ſicut ſit in febribus, ſine vulnere capitis.

Attende tamen quod ſtante febre, tempore in quo caput eſt tectum, & bene coopertum eligendus eſt aër remiſſior in calido, quam in tempore in quo medicatur & caput nudum & diſcoopertum eſt. Iſtam tamen viam medicandi remitto peritis Phyſicis, & ideo laudo, ut alias prædixi, ut chirurgi vocent peritum Phyſicum, ne contingat error qui incorrigibilis eſt ob cauſas prænarratas, etiam non ſtante febre.

Et ubi timetur aëris frigiditas chirurgi experti ſemper tegunt caput aliquo capitio calido levi, ex pelle agnina vel alterius animalis, vel aliquo capitio laneo, vel ſtuppa & multis petiis, ita ut caput maneat tepidum, & ſi conqueratur patiens de nimio calido vel de pauco, ſi ſit in bono ſenſu, addant calidum & minuant ſecundum narrationem ipſius patientis. Si vero æger ſit, ut ſæpe contingit, deſipientia involutus hoc remittatur exiſtimativæ medici, qui aliter procedet in hyeme, aliter in æſtate, aliter in temporibus mediis, aliter in capite naturaliter calido, & aliter in temperato vel frigido.

Quin

Quin ſecundum regionem etiam variabit aërem, quia regio etiam non parum variat hanc curam. Nam aliqua loca ſunt in quibus aër eſt calidior, aliqua in quibus frigidior, groſſior, & ſubtilior, quæ omnia diligentiſſimè ſunt conſideranda.

Nam. 1. Meteor. dicitur triplicem eſſe aërem, cujus pars infima dicitur eſſe calida & humida non ſolum eſſentialiter ſed etiam accidentaliter. Humidus quidem & accidentaliter eſt aër propter vapores aqueos ſecum mixtos, & quia ſic eſt in ſui natura ſicut etiam eſt calidus. Redditur autem & calidus per accidens propter vapores & exhalationes ad ipſius inferiorem regionem pervenientes ab aqua & à terra, qui quadam caliditate participant ratione agentis à quo producuntur quod eſt cœlum. Eſt etiam calida talis regio propter radios ſolis, à terra & ab aqua, ad ipſam reflexos, quorum eſt generare caliditatem.

Superior vero regio calida eſt & ſicca; calida per ſe & per accidens; ſicca vero per accidens tantum. Et talis redditur ex vicinitate ejus ad elementum ignis, & ex vicinitate ejus ad cœlum, à cujus motu circumducitur, & in ea caliditas augmentatur. Et talis regio non eſt habitabilis.

Media vero regio eſt frigida & humida, partim privatione cauſarum alias regiones calidas reddentium; ad eam enim non perveniunt radii ſolares à terra & ab aqua reflexi, ſed illic incipit ſecunda regio ubi finiuntur radii reflexi, & ibidem finitur prima regio: eſt etiam ſatis remota hæc ſecunda regio ab elemento ignis, & ideo non calefit ab eo: eſt etiam remota à cœlo quare non movetur circulariter motum diurnum inſequendo ſicut ſuperior facit regio. Redditur etiam frigida poſitivè à vaporibus aqueis in ea ad ſuam frigiditatem reverſis: & per antiperiſtaſin dum calorem ſuperiorem & inferiorem fugit tanquam ſuum contrarium ipſa frigiditas. Talis media regio ſemper eſt frigida & humida, inferior vero non ſemper calida quia hyemali tempore & aliis temporibus etiam redditur frigida. Nam interdum à cœlo immediate redditur talis, interdum à pluvia, à nive, à grandine, à pruina, à glacie, & à ventis, & à privatione radiorum ſolarium, ſive ſit ex nubibus ſive noctis tempore: caliditas tamen aliqua eſt in hac inferiori regione magis & minus ſecundum prædicta. Seneca tamen in quæſtionibus naturalibus aliter ſentit de qualitatibus aëris contra Ariſtotelem.

Viſa aëris qualitate ad regionem deve-

nia-

niamus, & dico quod locorum habitabilium notabilis pars eſt circa inferiorem aëris regionem, & iſta regio extendit ſe circa radices montium vel parum ſupra. Media autem regio eſt pars habitabilis, montoſa, & alta, ac elevata ſatis, ſicut ſunt montes. Italiæ & ſimiles altitudines. Tertia eſt ſupra iſtam, ad quam attingunt ſummitates aliquorum altiſſimorum montium. Sed ad hanc ſummitatem Ariſt. 26. problematum prob. 25. dicit ventos non pervenire, ſicut & Albertus ubi de ventis agit. Hujus ſignum eſt quoniam antiqui in ſummitatibus talium montium certo tempore ſacrificabant facientes ignem & cineres, anno vero ſequenti prædictos cineres reperiebant in conſimili diſpoſitione ſicut ipſos dimiſerant, quòd non contigiſſet ſi venti uſque ad illum locum aſcendiſſent.

Loca igitur omnia in media regione aëris ſita ſunt frigida, & conſequenter vulneribus capitis ſuſpecta & mala. Ideo varianda eſt cura ex parte regionis quantum ad regimen aëris. Et talia loca in Italia ſecundum aliquos ſunt Peruſia, Florentia & tota fere Tuſcia & Hetruria, & alibi in locis montoſis ſimiles iſtis. Tamen credo ego, etiam talia loca eſſe in prima aëris regione, quia tamen propinqua ſunt me-

mediæ regioni ſapiunt ejuſdem regionis qualitates. Unde Averroes. 1. Meteor. dicit, quod in magnis montibus eſt frigiditas & humiditas propter propinquitatem eorum ad locum frigidum. Et ita puto eſſe prædicta loca frigida, propter eandem cauſam.

Dicunt etiam aliqui quædam loca eſſe mala vulneribus capitis propter ſubtilitatem aëris loci, & dicunt ventos ſubtiliare aërem reſolvendo & exterminando vapores ab aqua elevatos, & ita ſubtilitatem frigiditati mixtam nocere quia aër talis magis quam groſſus penetrat, adeoque citius imprimit frigiditatem.

Dicunt etiam aërem infrigidari à qualitate ventorum. Et hoc contingit Bononiæ, quæ non eſt montana quamvis montibus propinqua, nec infima eſt & depreſſa, habet tamen aërem ſubtilem & frigidum, non quod ibi ſit media aëris regio, ſed quia à boreali vento per reverberationem montium quibus propinqua eſt, aër efficitur frigidus & ſubtilis; hinc eſt quòd ibidem capita fracta cum difficultate à tali qualitate tuentur.

Sunt tamen aliqua loca plana etiam montibus propinqua, in quibus aër calefit à vento auſtrali ultra vapores à terra elevatos & ab aqua in eo exiſtentes. Et talia

loca

loca ſunt Roma, Piſæ & loca infima auſtrali vento ſuppoſita.

Et ideo, ſicut recitat Mapheus de Laude, quidam medicus in capite vulneratus fecit ſe transferri Florentia in Urbem & ibi ſanatus eſt. Florentiæ certè eſt aër ſubtilis & frigidus, quia eſt in montibus ubi venti ſubtiliant aërem, & eſt frigidus propter rationem prædictam: tamen interdum ibi flant venti auſtrales qui calefaciunt interdum aërem, ſed boreales ibi minimè poſſunt, niſi valdè à longo altè ſupra Apenninum ſufflando, qui etiam frigiditatem inducunt.

Comparando tamen aërem Florentiæ ad Bononienſem dico, frigidiorem eſſe Bononiæ. Cujus ſignum eſt, quòd longe citius matureſcunt fructus & ſemina & omnia olera Florentiæ quam Bononiæ. Sed aliqui dicunt hoc eſſe, quia Florentia eſt magis propinqua æquatori, & citius ad illam regionem venit caliditas ſolaris, ideoque citius ibi matureſcere fructus & alia.

Sed ſunt aliqua loca quæ ſunt media, in quibus aër eſt medio modo, niſi per accidens calefiat vel frigefiat, ſicut fit Romæ & Bononiæ, ubi deberet eſſe aër temperatus, quia ſunt inter infimam & mediam regionem.

Lo-

Loca vero calida ſunt loca infima & valloſa, ſicut Ferraria, Venetiæ, Ravenna, & ſimilia loca, in quibus debet eſſe aer calidus niſi mutetur ab aliquo accidente.

Hæc eadem comparatio aeris poteſt fieri reſpectu cujuſcunque alterius loci ad locum, cæteris paribus, in qualibet regione: quælibet enim regiò quanto magis meridionalis calidior eſt, quanto vero magis ſeptentrionalis frigidior eſt. Vnde in Germania magis, quam in Italia aer eſt groſſior propter frigiditatem, cujus effectus eſt ingroſſare. Hinc ibidem rarius moriuntur qui in capite ſunt vulnerati quam in Italia, quamvis forte hoc etiam contingat robuſtæ & fortis virtutis cauſa. Galenus enim lib. 10. Ingenii cap. 4. l. 10. inquit: *fortis virtus contemnit & ſuſtinet omnia, imbecillis verò ſuccumbit.*

Medici ergo ſint diligentes in conſideranda regione, & contemperent aërem, quia meum non eſt hic particulariter loca deſcribere.

Hoc unum obſervetur, quòd loca valloſa & plana ſunt calida: & montoſa, alta, ſunt frigida; niſi à ventis mutetur eorum qualitas, ut prætactum eſt: & media medio modo ſeſe habent.

Dicunt aliqui, omnia loca ſaxoſa eſſe

valdè frigida tempore frigido, & calida valdè tempore calido, propter ſubjectum denſum. Quid ſubſit veri per te conſidera, quia hoc facile ſolvitur.

Poſſunt tamen aliqua loca eſſe frigida & calida à natura particulari loci: puta ſi ibi thermæ ſint & mineræ, quæ qualificant aërem. Quia aliquæ ſint ferreæ, aliquæ æneæ, aliquæ nitroſæ, aliquæ ſulphureæ, aliquæ aluminoſæ & alterius generis, prout conſtat in natura, & ſic ab eis alteratur aër. Vel fortè cœlum in aliquo loco particulari mediante aliquo ſidere fixo, influit aliquam qualitatem, quæ non eſt à cauſis prædictis.

Quod autem aër mutetur à prænarratis cauſis teſtis eſt Joannitius: *aëris inquit mutatio fit quinque modis, ſcilicet temporum mutatione, ortu ſtellarum & occaſu, ventorum impetū, terrarum ſitu ac fumoſitatibus vaporoſis.*

Mutatur etiam aër in ſua complexione per anni tempora. Aër enim Veris ponitur à Galeno & ſequacibus eſſe temperatæ complexionis, ab Ariſtotele & à multis Philoſophis calidæ & humidæ: Aeſtatis verò calidæ & ſiccæ; Autumni frigidæ & ſiccæ: Hyemis frigidæ & humidæ.

Mutatur etiam aëris complexio à partibus diei & hoc fit virtute ſolis. Unde Haly lib. 5. Theor. cap. 3. in fine inquit:

&

& ſciendum quoniam inter diei & anni tempora eſt proportio quædam & ſimilitudo, diei etenim principium ſimile eſt matutino tempori, æſtas meridiei & confinibus, Autumnus ultimo ejus, veſperæ ſcilicet, & nocti hyems &c.

Experientiæ loci ergo eſt ſtandum, habeatque medicus pro indigentia ægri in locis frigidis cameras calidas benè clauſas & anguſtas. Nam ubi aër eſt minor eſt calidior teſte Ariſtotele ſect. 25. *probl.* 18. *propter quid* quum inquit, *eſt quod aër minor calidior eſt mater & coanguſtationes calidiores? quia moveantur magis, multus motus autem facit frigidum; ſignum autem quia calida mota infrigidantur.* Ex iſto problemate fortificantur rationes à me adductæ ſuperius, quare Florentiæ & Bononiæ, ſit aër frigidus, eſt hoc ſcilicet propter aërem motum à ventis additâ qualitate venti.

Hic eſſet movenda quæſtio in dictis Ariſtotelis, quia dicit ibi., motum cauſare frigiditatem, alibi vero dicit motum cauſare caliditatem: ſed quia hæc quæſtio clarificata eſt in ſcientiis phyſicis, ad illas recurrendum eſt, ne tædio afficiantur chirurgi; multa enim diximus contra eorum propoſitum, quæ magis honeſti ſunt ocii cauſa quam ad chirurgos ſpectantia.

Tales autem cameræ in quacunque regione eligantur in loco infimo, & depressiore, quia alta loca ſuppoſita ſunt ventis & eventationibus unde cauſatur frigiditas, teſte Ariſtotele ibidem problem. 21.

Tempore etiam frigido teneantur cameræ calidæ cum igne; *non ſit autem ignis carbonum* inquit Nicolus. Sed ego dico, quod talis ignis debet eſſe ex ligno dulci bene digeſto, à quo non elevatur aliquis malus fumus: quia vidi ego pluries carbones in locis clauſis inducere ſtuporem, & ſæva accidentia, & interdum mortem. Et ſemper teneatur aliquid ferri vel vitri ſupra prædictas prunas, quia à prædictis fit purificatio mali vaporis. Vitentur etiam omnia ſternutamentum inducentia.

Tempore vero quo medicatur æger teneatur aliqua portio ignis non multum diſtans à membro læſo. Et inter alia ſint quatuor vel quinque candelæ notabilis magnitudinis accenſæ circa caput, quæ ſuo lumine faciunt medicum videre forte aliquid occultum puta pilos, vel ſaniem, vel fiſſuram capillarem, vel talia: & ultra hoc calefaciunt aërem.

Ego inter aliam actu medicandi utor, vulnère exiſtente detecto, tribus vel quatuor

tuor pannis lineis mediocriter groſſis & albis calefactis, ſupra caput ponendo modo unum, modo aliud, dum opere manus mundatur vulnus & medicatur: quia à tali actuali caliditate multum juvantur ægri, calidum enim actu digerit & calorem naturalem conſervat & confortat.

Sit autem iſta caliditas conditionata complexioni, tempori, ætati, regioni ſimilibus; conſideratis etiam accidentibus, puta febre, apoſtemate, & aliis venire ſolîtis, & conſiderata cauſa talium accidentium, fortè caliditas augeret prædicta.

Et non ſolum debet eſſe conditionatus aër in caliditate, prætactum eſt, ſed etiam debet eſſe purus ab omni fætore & malo vapore, quia poſſet ſic conditionatus eſſe interitus cauſa. Unde Avicenna ſecunda primi capitulo quinto inquit: *aër bonæ ſubſtantiæ eſt cui non admiſcetur ex vaporibus neque ex fumis res extranea.*

Debet ergo eſſe boni odoris & ſuavis, quamvis dicant aliqui quòd aromatica repleant caput. Credo ego præmiſſis univerſalibus, & bene mundato corpore, & tranſacta ſuſpicione de apoſtemate, aromatica temperata conferre in cura vulnerum capitis & quocunque tempore, ſtante debilitate virtutis factæ à reſolutione ſpirituum, quia indigemus tunc inſtauratione. Eſt au-

tem præceptum Hippocratis & Galeni, quòd cum volumus citiſſimè virtuti ſuccurrere ſuccurendum ſit aliquo ſubtili boni & multi nutrimenti. Et hæc ab Avicenna quarta primi de ordine cibandi, & in capitulo de his quæ proveniunt ex eis quæ bibuntur & comeduntur, pronuntur eſſe vinum, & aqua carnis, & ova ſorbilia. Cùm autem citiori tempore volumus hoc facere fiat per odorationem, quia ſubitò reſtaurantur & generantur ſpiritus ex aëre.

Nutrit etiam aër boni odoris plus quam aër purus. Unde Avicenna de medicinis cordis dicit: *duarum medicinarum æqualium in virtute dulcior* (id eſt melior) *eſt aromatica.* Item docens ſuccurrere ſyncopi; *Laboretur*, inquit *cum eo quod nutrit ſpiritum ex odoribus bonis*, *niſi in ſyncope ex præfocatione matricis facta*, *quia virtus membrorum attractiva ipſam recipit fortius & ſpiritus inde celerius nutritur ſi potentiam habeat nutriendi & ab ea celerius patitur in quantum eſt medicina.*

Et inter alios odores mihi placet aqua roſata cum gariophyllis, ligno aloes, roſis, ſandalis, & parum ambræ: ſupera ſperſis iſtis alicui laminæ ferreæ leviter ignitæ in camera clauſa: vel ut bulliant in aquâ. Hæc aromatica & alia multa dantur à doctoribus, & ita plures modi odorum; qūi

qui administrantur prout requirit dispositio, modo cum calidis modo cum frigidis, modò cum mistis, prout videtur medico experto, dummodo aër tendat ad siccum, omnia enim vulnera & ulcera, inquantum talia sunt, indigent exiccatione quadam, & maxime illa quæ in capite sunt: quia in ulceribus à contusione factis utimur mollificantibus & putrefacientibus & tali modo procedere in capite est periculosum, procedatur ergo cum exiccantibus. Ita ergo aër tendat ad siccum in vulneribus capitis.

Et inter omnes res ego laudo, quòd ponatur in camera notabilis panis quantitas à furno noviter cocti, quia calefacit aërem & mirabiliter confortat, sicut notum est ex historiâ Democriti, qui vixit per certos dies solo panis odore.

Quod autem odores nutriant & possint nutrire, hoc fulcitur ratione: quia omne mixtum est nutrire aptum, excepto veneno, maxime corrosivo & putrefactivo, quale est sublimatum & arsenicum & multa alia venena, omissâ historià de puella veneno nutrita. Hæc de aëre sufficere volo, omnia remittens prudenti & legitimo medico.

Cap XVIII.

Regimen cibi & potus in vulneribus capitis partium internarum.

AD narrationem ciborum & potuum transeundum putavi, quæ strictiori aliquo modo diæta potest appellari; & dico prædictis dispositionibus læsos diætari seu cibari & potari debere secundum naturam læsionis, & secundum virtutem, secundum accidentia: ut simul adhibeatur cura ætati, consuetudini, &c. complexioni, & tempori anni, & tempori ægritudinis, & regioni, & his similibus.

A natura læsionis incipiendo dico, in qualibet capitis læsione diætam debere subtiliari, & in quanto, & in quali, ne expletoria accidant apostemata, febres, & alia accidentia solita evenire in similibus: quia si natura non sic occupata in cibo digerendo, regulabit alia superflua si qua sint. Nam quamvis solutio continui sit ægritudo immaterialis, componitur tamen sæpe cum materiali. Atque ita æger evitabit naufragia & evadet.

Et quia læsiones diversorum sunt modorum, magnæ parvæ, mediocres, minimæ,

mæ, & majores, ita varianda eſt diæta ſemper ad ſubtilitatem declinans uſque quo medicus cognoſcat ſecuritatem accidentium. Et, ut prædixi, non audeo ego dilatare habenas ægris meis præſentibus etiam bonis indiciis, niſi tranſacta illâ notabili vigeſimâ & vigeſimâ primâ die, diu enim obſervavi, & multoties vidi circa talem diem portenta apparere. Quod ſi ægris meis aliquid concedo hoc facio cum proteſtatione & prognoſtico dubio. Et ſic facientes ſunt laudandi.

Meminerint medici aureæ illius Galeni ſententiæ lib. 1. Aphor. ſuper illo verbo *tempus acutum* id eſt timoroſum: *non enim medicus eſt carpentarius, ſed operatur in humano corpore: nec operatur in lapide, nec in corio, in quibus cum artificialiter laboramus nulla corruptio ferè ſubſequitur, ſi in eis facta non bene ſucceſſerunt artificia, ſed ſi hoc contingat in homine, ſubjectum deſtruitur, nec unquam poteſt refici.* Dixit præterea *judicium difficile*, ex quo infero medicum debere diætare ægros ſuos taliter ut videatur judicium habuiſſe, & non moriantur ægri ex groſsâ diæta, quia neminem ægrum vidi ego fame & eſuritione, mori. Habeat ergo medicus virgam ſerpente involutam manu, i. e. ſceptrum & verum dominium ſuper ægros cum pru-

dentia, & non errabit ſed ſalvabit ſe & alios.

Et conſideranda eſt inter omnia virtus quæ conſervatione indiget ſine qua nulla proſunt ſuffragia. Si virtus eſt fortis non eſt latior danda quam requirat diſpoſitio, quælibet enim diſpoſitio cum cranii læſione eſt verenda propter prænarrata, tantò magis ſi læſio ſit infra cranium. Subtilietur ergo regimen, cavendo à vino & à carnibus, & ab omnibus calidis cibis: quia ut prætactum eſt de mente Pauli & Haly & Avicennæ, cibus multus vel vinum ſunt cauſa apoſtematis calidi. Tranſeant igitur viginti dies cum ſubtili diæta propter ea quæ ſupra narrata ſunt.

Ante omnia autem meminerit medicus canonum cibationis febricitantium, primæ quarti Principis Avicennæ, quia raro ſunt tales læſiones ſine febre: & canonum ejuſdem tertiæ primi, de regimine ejus quod comeditur & bibitur. Illis enim obſervatis regulariter diætabitur quilibet.

Debent igitur eſſe cibi paucæ quantitatis, & pauci nutrimenti, & facilis digeſtionis; nec debent eſſe evaporativi ad caput, ut illud repleant: & ſint paucarum ſuperfluitatum, & repreſſivi vaporum, & infrigidativi, & humectativi, & extinctivi caliditatis extraneæ.

Cor-

Corroborat prædictas autoritates Pauli, Haly, & Avicennæ dictum Albucasis dum inquit: *caveat sibi à repletione & vino & cibis grossis.*

Sunt tamen aliqui hodiernis temporibus qui in toto curæ processu dant vinum non solum in vulneribus capitis sed & pectoris imò in vulneribus omnium membrorum tam nervosorum quam carniformium. Sed hanc sectam debent omnes tanquam veneficam abhorrere & fugere; nam etsi aliqui sanantur id fortunæ est adscribendum, nec propter hoc sequendus est talis modus.]

Certè non reperio ego rationem nec autoritatem quæ hoc concedat nisi in uno casu, scil. stante virtutis debilitate maximâ ob resolutionem cum vinum sit velocissimæ penetrationis, teste Avicenna quarta primi capitulo primo, & Galeno l. 2. Aphor. comm. 18, ubi inquit: *omnium autem celerrime & subito nutrientium, potissimum est vinum.* Et cùm virtuti intendimus succurre hoc potest, in prædicto casu, vino fieri, teste Avicenna eodem capitulo: *& nobis* inquit *est quidem necessarium nutriens quod cito penetret, cum casui virtutis animalis volumus succurrere, & ejus resolutioni, & non potest stomachus & virtus tolerare, ut nutriens quod tarde digeritur di-*

digeratur. Iſta autem virtutis reſolutio vel fit à qualitate vulneris ſi ſit doloroſa, nam à dolore fit ſpirituum evacuatio & extinctio: vel fit à fluxu ſanguinis ſuperfluo in quo ſtat anima, unde cecinit Poeta *purpuream vomit ille animam cum ſanguine multo.*

Sed refecto vino virtute ſtatim fiat abſtinentia à vino, quia vulneribus inimiciſſimum eſt, & nullus eſt ex rationalibus medicis qui aliter ſentiat.

Quod autem vinum conveniat in vulneribus in caſu prædicto, teſtis eſt doctiſſimus Celſus llbro 5. cap. de ratione victus & notis vulnerum curationibuſque eorum, qui inquit: *multique etiam ex profluvio ſanguinis intermorientes ante ullam curationem vino reficiendi ſunt quod alioquin inimiciſſimum vulneri eſt.*

Sed moderni audacius utuntur aliquo brodio bono vel caponis, vel phaſiani, vel gallinæ, vel aqua carnis cum margaritis & floribus cordialibus & fragmentis de gemmis, & reſtaurant virtutem cum prædictis, cumque manus Chriſti perlato, vel aliis virtutem reſtaurare aptis.

Si tamen contingat dari vinum detur dilutum in quo prius fuerit mica panis infuſa, quæ partes vaporoſas poſſit amovere.

Vi-

Vinum ego non laudo nisi cum conditione prædicta, tantum quoad virtus sit refecta & relevata, quia est evaporativum ad caput, & subito nocet teste Principe tertia pri. capi. de regimine aquæ & vini. Haly l. 5. Theor. ait: *vini proprium est cerebro & nervis nocere.* Idem sentiunt multi alii. Non convenit etiam in febribus vinum, & rara sunt capitis vulnera ad intra penetrantia sine febre.

Fugienda est igitur exhibitio vini debentque qui sunt læsi in capite, ubi imminet periculum, usque ad securitatem apostematis diætari ut supra dictum est, & deinceps cibus paulatim augmentari debet in quali & quanto maximè transacto die vigesimo.

Debent ergo in primis diebus vitari carnes omnes & ova sorbilia, lac, pisces, vinum, & omnes nuclei fructuum, quia replent caput, & omnia alia quæ possunt comprehendi ex dictis. Unde dicitur primo Continentis: *dixit Oribasius, quod sodam inducentia sunt mora Celsi, & rubi, & poma paradisi, & pinus, & majores dactyli, eruca silvestris, crocus, apium, cæpe, porrum, vinum odoriferum, & uvæ in fece vini servatæ &c.*

Et particularis diæta à Nicolo laudata est mica panis lota, & Kist hordei: & uti

uti farre & avena & oleribus mollibus ſpinachiis, atriplici, blito, lactuca, (quamvis lactuca ab omnibus non ſit approbata quia replet caput, ego tamen eà uſus ſum in ſimilibus & optime profuit) & cucurbitis: & in ſecunda menſa malis coctis, & piris, & cytoniis, & granatis, & aurantiis ſimilibus.

Et ſi adforet ventris ſtipticitas ſumant patientes duo vel tria pruna recentia vel ſicca, cum ſaccaro vel ſine ſaccaro ut libet, in principio menſæ.

Quod ſi cogerit te aliqua cauſa ad exhibitionem carnis tunc exhibe carnes avicularum bonarum: ut pullorum parvorum, vel pullorum perdicum, vel phaſianorum (alteratas tamen benè, imo à contritas potius quam ſolidas, quin melius eſſet facere contuſas carnes) modico brodii & agreſtâ, & ſimilium. potus ſit aqua hordei, vel ſine hordeo cocta cum ſaccaro, & vinum granatorum ſecundum omnem modum exhibitionis, & berberorum, & juleb roſatum vel violatum, & miva citoniorum, & gelaticum marenatæ, vel diacitoites vel granatina, (id eſt ſuccus granatorum in gelu præparatus cum ſaccaro) & ſimilia.

Avicenna vero quarta quarti capitulo de cura vulnerum alſehigi (id eſt capitis) inquit: *& oportet ut cibetur habens eam cere-*

bel-

bellis gallinarum assatis quantum possibile est: ipsa enim, secundum quod testificantur quidam, confortant cerebrum & retinent fluxum sanguinis, licet sit in eis sententia alia; & similiter aqua granati muzi, id est vino talium granatorum. Una litera dicit, *licet sit in eis sententia alia*, alia litera dicit *summa alia:* id est licet sit in cura fluxus sanguinis alia via curandi, sicut exponit Dinus, aliter tamen sentit Nicolus. Vide utrumque, quia parum refert sic vel aliter esse.

Rasis etiam lib. 15. Continentis cap. 3. in fine. autoritate Orbasii inquit: *dico, conferunt huic cerebella gallinarum data ei in cibo affluenter;* & in eodem capitulo circa medium, autoritate Pauli inquit in memoriali, scilicet in libro sic nominato: *percussio si accidit super caput, & exinde emittitur de cerebro sanguis, dandum est ei de cervicibus in potu* (id est, de cerebellis gallinarum assis, in cibo toto) *posce frequenter etiam de aqua granatorum muzorum.*

Sunt multi moderni, qui transacta suspicione de apostemate & accidentium prædictorum, utuntur diæta grossa & viscosa, ut fiat citius orosbot & durius. Talia cibaria sunt ex pedibus & ex extremis vituli, hedi, & agni; item intestina prædictorum animalium. & triticum coctum, & similia his.

Sed

Sed quia inter omnes medicinæ partes hæc pars quæ Diætetica appellatur indiget clariſſimo autore, teſte Celſo in principio ſui libri qui inquit : *ea autem qua victu morbos curat longe clariſſimos autores habet, qui altius quædam agitare conati rerum quoque & natura ſibi cognitionem vendicaverunt, tanquam ſine ea trunca & debilis medicina eſſet;* ideo rogo hujus artis operatores, ut fidem ac peritum vocent Phyſicum, ut pluries prætactum eſt, cui relinquatur ſui lucri labor in diætando & pharmacando, aliaſque omnes intentiones medicinales ſimul communicent, ut concordes & unanimes ſint ad ſalutem ægrotantium. Et hæc ſufficiant ex parte nutrientium.

Cap. XIX.

Regimen motus & quietis, Somni item & Vigiliæ in cranii vulneribus.

Circa motum & quietem ſint prudentes ægri; motus enim corpora debilia turbat & fatigat, & movet humores qui de facili poſſunt currere ad locum debilem & cauſare apoſtema & alia mala accidentia.

Unde Nicolus autoritate autoris compen-

pendii inquit : *quietum esse infirmum præcipe.* Item : *æger non debet se frequenter de latere in latus revolvere , nec se de loco ad locum præcipitare , sed jaceat patiens super latere læso , quia inde melius vulnus expurgatur nisi aliquid impediat.*

Et ante omnia caveat à motu capitis hinc & inde, & à motu membrorum superiorum, quia per ipsum materiæ fit ad caput attractio, motus vero & fricatio inferiorum membrorum divertit à capite. Ego utor continuè talibus fricationîbus, & applicatione ventosarum circa nares usque ad securitatem apostematis sine scarificatione. Atque hæc sint de motu & quiete satis.

Circa somnum & vigiliam contemperent se ægri. Nam Rasis primo Continentis inquit : *dicitur in libro problematum, longæ vigiliæ inducunt sodam , quia impediunt digestionem & faciunt ascendere ad caput vapores calidos : & longus somnus similiter inducit sodam , quia facit digestionem extendere , & replet caput humiditate.* Fugiant quoque somnum diurnum , nisi hoc sit in consuetudine , ut inquit Nicolus, aut nisi malè de nocte æger dormierit & quieverit ; & non dormiant post cibum nisi transactis ad minus duabus horis , ut non repleatur caput à vaporibus cibi.

Attende tamen quòd sæpe in vulneribus

capitis dubitatur de ſubetia, ideoque bonum eſt ut non permittantur ægri profundari in ſomno, niſi corpus ſit optime mundum, vel ex ſe (puta quòd ſit paucorum ſuperfluitatum) vel ab arte; ſed quia nunc temporis major pars corporum eſt plena multis & malis humoribus, ideo medicus in hoc ſit prudens. Sed ſi corpus ſit mundum dico ſomnum conferre, dummodo non ſit nimius, digerit enim & reſolvit ſuperflua, & calor interior redditur fortis, unde, expellit ſaniem & alia nociva. Cujus ſignum eſt quod ſemper omnia vulnera, comparando noctem ad diem & ſomnum ad vigiliam, emittunt majorem ſaniei quantitatem & meliorem in nocte & in ſomno, quam in vigilia & in die.

Si vero medicus videat principium ſubetiæ nullo pacto ſinat eum dormire, ſed ligaturis doloroſis, & depilationibus, & clamoribus, & aliis remediis in ſubetia fieri ſolitis evigiletur æger, quia ſi permittatur in ſomno profundari, & cauſa ſit fortis, replebitur caput & apoſtemabitur, & ſuccedet ſuffocatio. Cætera relinquo medico prudenti pro cura ſubetiæ.

CAP. XX.

Regimen evacuationum & repletionum in vulneribus cranii.

QUia ſub conſideratione evacuationum & conſtipationum continetur balneum, coitus, urina, ſudor, egeſtio, emunctio & ſimiles evacuationes, de his dicamus.

Balneum confert in læſionibus capitis ut plurimum divertendi cauſa. Aqua enim pura calida pungens extremis applicita divertit à capite humores, & ſi adſit nimia vigilia ſomnum inducit, divertendo & evacuando aliquos vapores à corpore qui vigiliarum cauſa ſunt.

Vel fiat decoctio in aqua pura ex corticibus papaveris albi, & ex violis & floribus camomillæ, & ex foliis vitis, & ex frondibus cannæ, quia hoc balneum extremis adhibitum inducit ſomnum. Confert etiam hoc balneum ad reſolvenda apoſtemata cerebri, & communiter practicantes cum intendunt reſolutionem apoſtematis, vel alterius materiæ in capite à qua veniat dubium de apoſtemate, faciunt balneum prædictum, vel aliud, addendo

& minuendo, prout intendunt. Sinunt autem in illo bullire arietis vel agni pulmonem, deinde vel embrocando vel cum pulmone fomentando caput, vel cum ſpongiis vel alio modo procedunt. Et iſto modo dicimus balneum conferre læſionibus capitis. Quamvis enim talia fortè etiam pertineant ad inſtrumentum potionis, hic tamen inſerta ſunt ut de balneo aliquid dictum ſit, quamvis raro fiant talia.

Eodem modo quamvis de coitu (hoc eſt de ſpermatis emiſſione) magis ſpectaret ad partem potionis quàm regiminis, cum propriè ſperma non ſit ſuperfluitas, ſicut ſudor, urina, egeſtio & ſimilia, quia eſt ſuperfluitas utilis non prima ſuperfluitas, ſicut phlegma quod eſt primi alimenti utilis ſuperfluitas ſed ſecunda, cum ſperma dicatur eſſe ultimi alimenti ſuperfluitas utilis; ut tamen Haly ordo ſervetur, hîc de ſpermate ſeu de coitu inſerendus eſt ſermo, cui omnibus viribus adhibeant diligentiam medici, ne in eo contingat error, quia nullus eſt adeo prudens & continens præſtitâ commoditate qui medicinæ in eo negotio ſervet mandata.

Dico igitur, coitum ſummè prædictis læſionibus capitis nocere quia inter alia membra cerebro nocet, & nervis, & oculis.

lis. Nam teste Hippocrate à venis circa aures mediante cerebro venit sperma, oppositum tamen tenent aliqui, & de hoc alibi dicetur.

Sed coitus humores bullientes reddit & currentes, virtutem prosternit, suffocat & debilitat, stomacho præ cæteris nocet cujus communitate læditur caput, corpus totum reddit frigidum, debile & exangue. Unde Princeps Fen. 20. tertii capitulo 11. inquit: *coitus evacuat de substantia cibi postremi, quare debilitatem affert cujus similem aliæ non afferunt evacuationes: evacuat etiam de substantia spiritus rem plurimam propter delectationem; propter illud hi qui plus delectantur plus sunt cadentes in debilitatem.* Inquit etiam: *resolvit calorem innatum, & mortificat virtutem si superfluat, & debilitat auditum & visum, & facit tremorem in cruribus & dolorem, & inducit febres acutas, & tremorem, & nervorum debilitatem, & vigilias, & epilepsiam, & dolorem renum, dorsi, & vesicæ, & colicam.*

Tamen in aliquibus casibus conceditur coitus, qua de re vide Conciliatorem differentia 186. & 129. quia omnia dicit juvamenta & nocumenta â peritis notata: dico tamen coitum in læsionibus capitis summe nocere, quia agitantur humores,

& ponuntur in motu ad ſuperiora, & poſſunt cauſare apoſtema.

Quod conſiderans Ariſtoteles ſect. 4. probl. dixit: *propter quid coiens & moriens ſurſum ducit oculos, dormiens autem deorſum? an quia ſurſum calidum egrediens ſurſum vertit, ut quo movetur &c.*

Eſt etiam coitus nocivus quia debilitat virtutem, quæ debilitas non convenit alicui ægritudini in cura; ideo dixit idem problemate ſexto: *propter quid exolvitur maxime animalium coiens homo &c.* Eandem ſententiam ponit ſect. 21. problem. cit. *propter quid coeuntes exolvuntur & infirmiores fiunt ut frequenter &c.*

Quamvis autem dicatur ab aliquibus quòd coitus infrigidat (quod verum eſt) non tamen propterea non calefit totum corpus in actu illo (à quo calore ſummè læditur caput per rationes pluries dictas) ſed corpus redditur frigidum poſt actum coitus, maxime ſi ſit nimius.

Sint ergo medici prudentes in obſtando cauſis coitus, & cuſtodiantur ægri die noctuque à tali actu. Atque hæc de coitu dicta ſint.

Totis etiam viribus conetur medicus extrahere ſuperfluitates primæ & ſecundæ digeſtionis à languenti corpore, ſi natura ex ſe non facit; & circa egeſtiones, ad mi-

minus ſemel, ſingulo die faciat clyſterem lenitivum, vel ſuppoſitorium ex melle vel lardo, vel raphani radice, vel aliquo ſimili. Urinam quoque provocet ſi poteſt, verbis ſtimulando ægrum ut ipſe exoneret veſicam, quia interdum non poſſunt mingere quia loca illa ſunt mollificata vel ſpaſmata, vel ipſi ſubetici & ſomnolenti ſunt & obliviſcuntur mingere. Non poteſt autem ita facilè retentioni urinæ medicus ſuccurrere ſicut egeſtioni, propter cauſas notas medico perito, ideo confricentur loca pectinis, & fomentetur locus confortantibus & mollificantibus, & reſolventibus, pro ut eſt cauſa quæ requirit curam.

Et valet à proprietate oleum ſcorpionum circa pectinem, & fomentatio ex parietaria, butyro, & prædicto oleo: vel ponatur aliquid in capite virgæ quod ſtimulet naturam, ſicut pediculus. Finaliter autem currat medicus ad canones de difficultate emiſſionis urinæ.

Nec eſt inconveniens quòd patiens quantum poteſt emittat ſuperfluitatem ſputi, quia exonerat caput ab eo: expurget etiam ſibi nares à mucoſitatibus, cum levitate tamen in principio uſque ad ſecuritem apoſtematis. Nam ſi aliquod os eſſet pungens & gravans nullo pacto utatur na-

ſo in motu aeris, niſi inſpirando & expirando, cujus cauſa eſt nota cuivis. Sed in declinatione ego laudo ſufflationem cum naſo fortiorem: non multum fortem tamen, ne aperiantur aliquæ venulæ in capite. Nam temperata exſufflatio narium expellit ſaniem ſi qua eſt ſub oſſe. Et talis operatio fiat dum medicatur æger, ut medicus cognoſcat an ita agere juvativum vel nocivum ſit.

De ſuperfluitatibus oculorum & aurium, quia non ſubjiciuntur voluntati, ſermonem claudo. Unum dico tamen, quòd ſi caſu natura tentaret expellere aliquid nocivi per aures (puta ſaniem vel aquoſitatem) medicus debet juvare, abſtergendo & lavando cum appropriatis, & etiam medicinas attractivas applicando.

Et quia interdum accidunt lachrymæ involuntariæ, dico etiam medicum non debere impedire naturam ſtante pletora, ſicut faciunt aſtantes lavando oculos cum ſtipticis, puta cum aqua roſata & ſimilibus: ſed laudarem ego fomentationem cum aliquo levi calido puta cum aquâ calida pura, quæ attractionem juvat.

Quia etiam ſæpè vel critice vel ſymptomaticè natura expellit ſudorem, dico naturam non debere impediri ſtante pletora; ſed cum ſudor procedit à loco nimis calido,

do, tunc medicus debet advertere virtuti & ægritudini, an sit corpus plenum vel non, forte vel debile, & sudori vel ejus causæ succurrere.

A vomitu debet cavere totis viribus, quia est contra Aphor. *quæ ducere oportet &c.* Hæc certè non est conveniens regio: etiam si sit solitus habere vomitum singulis diebus, ut habent multi. Quiescat igitur ab eo patiens usque dum sanus efficitur.

Quia etiam sæpè contingunt læsiones capitis mulieribus lactantibus, hic gratia mulierum de eis aliquid dicamus. Et dico mulierem non debere lactari seu emungi aliquo modo usque ad securitatem apostematis: quia emunctio illa evacuat venas mamillarum, & ne detur vacuum à venis mamillas nutrientibus fluit aliunde in eas sanguis, & quamvis per mirach ascendant venæ ad mamillas sanguinem illis à matrice deferentes à quo fit lac, tamen etiam à superioribus venis circa costas superiores pectoris veniunt venæ ad coquendum sanguinem convertendum in lac, qui sanguis est longè etiam calidior sanguine inferiori. Illæ etiam venæ ne detur vacuum, tam superiores quam inferiores, trahunt à sibi vicinis venis, & ita ponunt humores in motu tam superiores quam inferiores: quia

ergo venæ prædictæ superiores sunt propinquæ venis guiden & venis profundis quæ apoplecticæ sive venæ somni nominari solent, ideo possunt caput replere & capitis sanguinem ad motum ducere; quia guiden venæ & apoplecticæ sunt venæ à quibus omnes capitis venæ ortum habent. Ideo mulieres usque ad prætactum tempus quiescant ab emunctione.

Verum quidem est quòd facta evacuatione cum phlebotomia & ventris solutione, pro ut requiritur, emunctio tutius possit fieri: per hoc tamen non stat quin ponantur humores in motu. Securius ergo est ut transeant 20. dies prædicti, vel ad minus transeat quarta decima, antequam fiat emunctio. Fiant igitur evacuationes alia viâ & modo quam cum lacte.

Hoc de inanitione & repletione sufficere volo.

Cap. XXI.

Regimen animi passionum in vulneribus cranii.

AD animi affectus, quæ est ultima res ex sex nonnaturalibus deveniendum. Docet Nicolus, præcipiendum esse patienti

ti iram ac odium fugere, non minus ac timorem, triſtitiam & furorem: item rerum gerendarum curam à ſe penitus expellere: quia hæc omnia ponunt humores in motu, à quo fiunt prætacta mala accidentia. Unde quantum poteſt gaudeat & lætetur, omnemque animi lætitiam quærat; fugiat tamen jocos, cantus, & omnia humores movere apta.

Loca clauſa & obſcura ſint ne diſtrahatur animus à lumine: & caveat à locutione, quia *de magis trahentibus materiam ad caput eſt locutio plurima*, ut inquit Avicenna tertia quarti in cura ſcrophularum: locutio autem ſit pauca & remiſſa.

Caveat etiam ab omni ſtrepitu & murmure, quia ab iſtis moventur etiam humores: caveat & à quacunque re horrorem inducente, quia ab ea triſtatur mens teſte Ariſtotele ſect. 7. problem. 6. ubi inquit: *propter quid ſi viderimus aliquem, cum inciditur aut cum aduritur, aut cum contunditur, aut cum patitur aliquid periculorum, condolemus mente, ?&c.*

Caveant ergo aſtantes loqui de omnibus contentis in prædicto problemate: caveant etiam à quacunque re ſtridorem inducente, quia horror inducitur & agitantur humores, Nam non ſolum fit paſſio animi per viſum ſed etiam per auditum, teſte

teste eodem probl. octavo : *propter quid* inquit *quædam quæ sunt tristia per auditum horrescere nos faciunt, ut serra cum acuitur & pumex cum inciditur, & lapis cum mollitur &c.* caveant igitur astantes à prædictis, quia non solum ægri læduntur talia videndo sed etiam audiendo.

Ante omnia autem infirmus confidat de medico, quia ægri confidentia multoties sanat. Inquit Commentator : *de quo habetur fiducia quod ipse sit potens scire naturam ægritudinis, est fiducia etiam infirmorum causa committendi se magis, & de quo confidunt infirmi, & illi cujus manibus se committunt, talis plus sanat ægritudines.* Ideo dixit Galenus *plures sanat ille de quo plures confidunt.* Unde Avicenna inquit : *actionem à confidentia dependentem efficaciorem fore quam id quod agit medicus medicinis suis.*

Inquit etiam : *sunt quædam animæ tam grandium & mirabilium operationum, ut non modo operentur in corpore proprio, verum etiam in alieno absque medio, quale est opus fascinantis oculi.*

Sed revera dicunt aliqui istam confidentiam dependere ab imaginativa forti quæ à cœlo movetur, non enim omnem imaginationem facere casum, sed illam quæ à cœlo movetur. Sed tunc causa cau-

sæ

ſæ erit cauſa cauſati, ut recitat Albertus libro de mineralibus, ubi quærit cauſas imaginum in lapidibus.

Quidquid ſit, credo ego confidentiam ægri conferre in cura ægritudinis, quia pluries mihi hoc contigit quod viſitans ægros nihil penitus mutavi de aliorum remediis, quamvis mutare finxerim, & ſtatim melius ſe habuit res. Vidi hoc idem contingere multis aliis medicis. Unde inquit Conciliator: *videmus non raro infirmos in grandem convaleſcentiam deduci propter ſpem famoſi medici & diu affectati, in tantum ut non raro viſum ſit illum magis operari.*

Vult tamèn ipſe quòd diverſimode confidentia conferat, multas ponendo differentias: inter cæteras tamen vult quòd ſecundum vel intellectum vel imaginationem, ſeu quacunque virtute interiori ſenſibili fuerit ſpecies confidentiæ recepta, comparatione illius quod actualius operatur exterius, conferat. Inquit: *confidentia in intellectu fundata minus confert ad ſalutem quam in imaginatione ſituata, & adhuc in hac minus valde quam in re extera, quia quod magis imprimit eſt quod ſenſu comprehenditur particulari.*

Dicamus igitur confidentiam conferre, & maximè cum videamus indies in fide

Christi tot languentes ſanari. Ideo & Apoſtolus dixit : *fides tua te ſalvum fecit.*

Quod autem confidentia infirmi conferat ad ſalutem monſtratur, quia corpus patitur ab anima. Nam Ariſtoteles in Phyſiognomia inquit, *quod animæ ſequuntur corpora, nec ſunt impaſſibiles à motibus & impreſſionibus corporeis apparet in ægritudinibus; ſic & econverſo corpus pati ab anima patet in timore, & in lætitia.* Unde Galen. libr. de motibus liquidis inquit : *corporis immutatio imitatur animæ mutationem, non in motibus tantum ſed & alteratione coloris.*

Atque ita, ſi incantationes curant hoc ſolum fit per confidentiam, adeoque incantatio erit pars medicinæ, cum reducatur ad animi paſſiones quæ ſunt una ex ſex rebus nonnaturalibus antedictis.

Et ſic finem impono primo inſtrumento medicinæ, ſcilicet Diætæ pro cura læſionum capitis : ad ſecundum, ſcil. ad potionem, ſive ad medicinarum exhibitionem tranſeamus.

CAP. XXII.

De Fracturæ Cranii curatione per pharmaca: Prima medicorum ſententia.

CUm ſupra dictum ſit ſecundum inſtrumentum medicinæ, hoc eſt pharmaciam, eſſe partem curativæ medicinæ per nuda pharmaca intrinſecus & extrinſecus paſſiones ſanans, teſte Galeno, & hic loci de ea parte ſit intentio noſtra tractare, ad intentum accedendum putavi.

Sed quia, ut inquit Nicolus, tres ſectæ reperiuntur de modo curæ læſionum capitis, quæ ſecta magis approbanda & eligenda ſit antequam ad medicinarum deſcriptionem deveniamus eſt videndum.

Una eſt ſecta ſatis antiqua, non tamen rationalis ſed empirica, maximè inter Hebræos vigens, de quibus multos ego novi, cui ſectæ etiam adhærent aliqui juniores, inter quos fuit Ugo Lucanus, & Theodoricus, & multi alii, ut inquit Nicolus, non minuti Chirurgi. Hi profitentur poſſe curari fracturam cranii cujuſcunque modi & cum læſione panniculorum & cerebri, ſive cum vulnere, ſive cum contuſione, ſive alio modo factam, cum pigmentis &

po-

potionibus, quarum proprietas eſt mundificare, abſtergere, reſolvere, & exiccare, & conſumere omnem cujuſcunque modi ſaniem ſive materiam ſalutem impedientem. Imò non ſolum in capite ſed etiam in ſpiritualibus & naturalibus membris, & fiſtulas, & omnia mala ulcera prædictis medicinis ebibitis poſſe ſanari.

Ipſe dum eſſem ſatis puer vidi quendam Jacob Hebræum cui pater meus erat amiciſſimus, qui Jacob curavit divum Herculem Ferrariæ Ducem de peſſimo ictu ſpingardæ, ut dicitur, in pede, & tali pigmento ſanavit eum cum magno premio & honore. Sanavit & dominum magnificum Marcum de Piis, armorum ducem, de fiſtula in dorſo, cum prædicta potione. Sanavit & alium quendam Antonellum Neapolitanum, equitum ductorem prædicti magnifici domini Marci, de ictu baliſtæ, id eſt ſclopeti in dorſo, cum prædicta potione, propter quam potionem exivit pila plumbea prædicti ſclopeti à vulnere. Et talis potio exibat per vulnus ita ut petiæ ulceri ſuprapoſitæ ſemper eſſent coloratæ colore potionis, & ſic redolebant ejuſdem odorem.

Hanc potionem Hebræus faciebat ſolus in aliqua cameja clauſus, ſed credens ipſe

me

me eſſe de familia præfati Antonelli duxit me ſecum ad prata & ad agros, & ego vidi omnes herbas per eum collectas talem potionem ingredientes, & argutè cognovi totum negotium, adeo ut ego pluries tali potione uſus ſim dum eſſem minorennis. Atque ita per ignem & aquam vidi modum prædictæ ſectæ; & aliarum etiam ſectarum modos, & ita non ſolùm illum Hebræum hoc vidi facere ſed multos alios de ejus lege ſic operari vidi, cum modo tali potionum: compoſitio tamen potionum erat diverſa, ſemper tamen ponebant folium caulis ſupra ulcera.

Dicunt autem ipſi prædictum modum operandi primùm fuiſſe in natura ab eorum ſapientibus inventum, & ſic ſuis nugis & offutiis laudant ſe & ſuos ſectatores, qui etiam non ſunt pauci. Nam ut ego percepi à fide dignis, major pars chirurgorum in Germania cum iſtis potionibus curat vulnera cujuſcunque partis, nec ibidem à Principibus nec à vulgo doctis chirurgis aut Phyſicis, aliqua in ſimilibus diſpoſitionibus adhibetur fides: quod quidem abſurdum horridum ac deteſtabile eſt. Certe iſta ſecta non debet audiri teſte Guidone, nam etſi iſto modo aliqui ſanantur hoc non eſt gratia potionis, ſed hoc eſt à forti & robuſta natura corporum

illius regionis. Nam ſicut dicit Damaſcenus: *multi medicamina experientes arbitrati ſunt fieri id à proprietate quod plerunque facit natura.* Sic ergo iſta ſecta & aliæ Empiriæ tanquam omnes veneficæ fugiendæ ſunt, & maximè cum indifferenter ab Empiricis medicinæ adminiſtrentur omni complexioni, omni ætati, omni tempori, & omni virtuti. Et certè eorum medicinæ non ſunt totaliter renuendæ ſi per legitimum adminiſtrentur medicum, qui cognoſcat medicinæ & corporum conditiones. Ideo ſemper cum prædictis Empiricis ſit ad minus unus peritus & expertus Phyſicus, qui ſuo temperato afflatu dirigat carinam in portum ſalutis.

Cap. XXIII.

De curatione vulnerum cranii: Altera opinio.

Est etiam alia ſecta Empirica, quæ tenet læſiones prædictas capitis, ſive ſint cum fractura cutis ſive non, poſſe ſanari abſque cutis aperitione, & oſſis aliqua elevatione, ſolum medicinis ſimplicibus & compoſitis extrinſecus capiti applicatis. Harum enim virtutem ſeu proprietatem di-

dicunt esse sufficientem attrahere quod sub cranio collectum est, vel illud resolvere, consumere, evaporare, vel exiccare, & tandum ossa si qua sint quæ in loco existere nequeunt extrahere, & ultimo loco fracturam ossis & cutis consolidare & cicatrizare.

Adducam autem rationes quibus innituntur in medium. Et prima est hæc: quod potest fieri per pauca superfluum est per plura facere, sed uti solum medicinis est æque bonum, ergo eis debemus uti, quia etiamsi amovemus os requiruntur tamen & medicinæ.

Secunda eorum ratio est, quòd illud debet fieri quod potest sanare, horrorem & alia virtutem terrentia non inducendo: sed tales sunt medicinæ, ergo eis utendum. Ossis enim amotio causat horrorem, dolorem, & agitationes, & puncturám, & fortè rupturam, vel saltem compressionem aliquam in panniculis, & sanguinis fluxum, & exponit panniculum aëris impressioni calidæ vel frigidæ vel alterius qualitatis curæ contrarianti, & causabit forte apostema & alia mala accidentia. Tutius igitur est uti unguentis & emplastris & aliis medicinis, quam ossis amotione.

Tertia est, ad illum modum curæ est

recurrendum qui melius removet curam impedientia & prohibentia: ſed medicinæ ſunt tales, quia emplaſtra & unguenta removent ſorditiem, & virulentiam, omnemque humiditatem & accidentia curam impedientia, caputque confortant. Hoc fulcitur autoritate & experientia; autoritate quidem Galeni per totum opus de ſimplici medicina, & de ingenio ſanitatis, & alibi: & Avicennæ in quarto per totum de ulceribus, & in tabulis pictis; experientia etiam conſtat, quia indies mundificamus, & exiccamus, aliaque mala ei accidentia ſedamus & removemus, ac membrum confortamus. Ergo medicinis uti eſt melius.

Quarta eſt. qui intendunt oſſis amotionem, illam non intendunt niſi ubi eſt oſſis fractura (ſive magna ſive parva ſit, ut infra videbitur:) ſed novam fracturam addere fracturæ eſt malum malo addere, & iſto modo non ſanabitur æger, ſed totum fiet oppoſitum. Ergo medicinis uti eſt melius quam oſſis elevatione, vel amotione, ſeu inciſione.

Quinta eſt, quòd etiam dantur medicinæ exiccativæ fortes quæ ſaniem exiccant in exituris aliorum membrorum præter caput, quorum cutis tamen non eſt tantæ raritatis ſicut ea quæ eſt capitis, ut con-

constat de talibus medicinis l. 13. Continentis cap. 4. factis ex marcasita & aqua gummi Arabici. Nam ibi dicitur : *prædictum ungentum est ad exiccandum saniem de exituris maturis, & dissolvendum quod remanebit in eis immaturam.* Et de marcasita recitat Galenus, se vidisse miranda in apostematibus, ac si arte magica fuissent facta. Et alibi idem Rasis inquit : *dico hoc est medicamen dissolvens saniem : teratur lapis marcasitæ ad modum collyrii, deinde distemperetur cum aqua in qua dissolutem sit galbanum, & superponatur, quoniam galbanum per se dissolvit saniem prout dixit Bulgeric, & lapis marcasitæ idem facit.* Similia multa alia ibi habentur apud Rasin. Ergo medicinis est utendum, & non ossis amotione.

Sexta est, quòd etiam dantur medicinæ attractivæ fortes, quæ non solum possunt saniem extrahere sed etiam spinas, tela, & ossa. Quod hoc sit verum omnes codices testantur qui de istis sunt pleni. Inter alios Galenus 1. de virtutibus naturalibus cap. 14. inquit : *ego denique vidi quandoque infixam in pede juvenis scolpam, digitis quidem trahentibus nobis violenter non consequentem, sed pharmaco apposito intristanter & cito advenientem.* Idem l. 4. ingenii cap. 3. l. 11. cap. 15. dicit medicinam

trahere ſicut ventoſa. Dicit etiam Nicolus autoritate ejuſdem Galeni in catagenis, componi ungentum ad formam baſiliconis, factum cum mollientibus & calidis, opoponace, ariſtolochia & modico euphorbii, quod eſt fortius aliis unguentis attractivis, attrahens oſſa fracta & humores groſſos ad exterius. Et Dioſcòrides ponit, betonicam extrahere oſſa fracta à capite ad emplaſtri formam. Idem recitat Avicenna l. 5. Canonis de emplaſtro relato ab Andromacho. Poterit ergo ſanies trahi ſi medicina trahit ut ventoſa, & ſi trahit ſpinas & oſſa. Ergo medicinis utendum & non oſſis inciſione.

Septima eſt, quòd ſi ſanies eſt ſub oſſe vel ibi eſt genita, vel per poros cranii aut per fiſſuram defluxa eſt. Sed quocunque modo fuerit, natura ab ea gravata & irritata eam expellet, & tanto magis à medicinis adjuta. Quod natura hoc poſſit facere probat Avicenna in capitulo de exituris, tertia quarti cap. 20. & Galenus in libro de mala complexione diverſa, capitulo quarto. & Raſis l. 13. Continentis cap. 4. quorum verba formalia ſuper adduxi, ubi de prognoſtico locutus ſum. Hi dicunt quòd natura expellit ſaniem exiturarum in cerebro per naſum, & nares, ſive per palatum, ut dicit Raſis, maxime in parte ante-

anteriori capitis, & ſalvantur ægri. Quod etiam ſanies expellatur per membra ſolida patet per Galenum l. 5. Interiorum capitulo tertio ubi inquit: *ſed palàm videmus in fractura oſſis ſanguinem ad cutim exire, & ligamentum tingere.* Quare non erit negandum quod per ſubtiles panniculos poſſit penetrare, cum cutis ſit groſſior panniculis, ut ibidem parum ſupra ipſe dixit. Et l. 7. Aphor. commen. 55. ſuper Aphor. *quibuſcunque inter renes & ventrem phlegma,* dicit : *forti naturæ nihil poteſt repugnare in expellendis licet materia ſit groſſa & viæ ſtrictæ ſint ; videmus enim quòd materia apoſtematis cum natura à quibuſdam locis eam expellat, oſſa etiam tranſit.* Ex hoc infertur quod etiam per cranium ſanies poſſit expelli, maximè cum ſit rarius cæteris oſſibus, & tanto plus natura adjuta à medicinis. Ergo medicinis utendum, & non oſſis amotione.

Octava ratio, quæ poteſt in favorem adduci prædictæ ſectæ, eſt iſta. Quia videtur Raſim. 6. Almanſoris cap. 19. & in libro diviſionum cap. 3. de læſione capitis, tractans de ſoda à percuſſione, & Galenum in cura ſodæ factæ à percuſſione lib. 2. memiri cap. 7. & Meſitem de eadem ſoda in ſua Grabadin cap. 13. & Haly l. 5. Practicæ cap. 10. etiam de cura

fodæ à percussione, & Serapionem Breviarii cap. 12. & Avicennam in cura prædictæ fodæ prima tertii tractatu secundo cap. 26. quia videtur, inquam, illos omnes ubi est vulnus procedere cum medicinis, & non cum amotione ossis. Avicenna etiam quarta quarti in capitulo de Fractura Cranii *videtur velle concedere*, ut inquit Nicolus, *quod eum medicinis sit procedendum & non cum ossis amotione*, dum inquit, *in fissuris vero in quibus non est nisi fissura sed est plurima, & apparet cum ea illud inter quod & os non est nisi cortex, multoties, sufficiunt strictura, & ligamentum, & emplastrum, & infrigidantia. Verum illud quod est rectius est, ut incipiatur & fundetur super fissuram oleum rosatum tepidum, deinde aggregentur inter se duæ extremitates vulneris, & sufficiat; etsi necessarium est illud, pulverizetur desuper pulvis capitalis, & ponantur super eas pulvilli imbibiti vino stiptico concusso cum oleo, deinde reliqua ligamenta, & quiescat infirmus, & fiat delitiosus, & fiat ut dormiat, & phlebotometur si indiget.* Et prima tertii tra. 3. cap. 14. & ult. de plaga capitis inquit: *& principium quidem consisti in emplastris & erit ejus rectificatio velociter.* Cum igitur tam famosi medici cum medicinis procedant, ergo est dicendum procedi debere cum medicinis & non cum ossis amotione.

Nona

Nona ratio eorum dicta corroborans est ista : quod in cura carabiti & lethargiæ proceditur cum medicinis, quæ resolvunt materiam in panniculis contentam & inviscatam, ubi non est aliqua apertura nec in cute nec alibi: ergo medicinæ poterunt & hoc facere in prædictis læsionibus, ubi est via lata ad materiam educendam. Ergo medicinis utendum, & non ossis amotione.

Decima vero ratio in eorum favorem adducenda est hæc. Scilicet quòd prius solvitur continuum, deinde accidit mala complexio, & semper currunt ad locum læsum materiæ, & non curantur vulnera nisi prius introducatur bona complexio, (ut docetur tertio ingeni cap. 4. quarta primi, & quarti) & resolvantur humores cursi; malam autem complexionem & humorum cursum resolvit & curat medicina & non ossis amotio, immo predicta auget. Ergo medicinis insistendum.

Undecima vero & ultima & magis ipsi sectæ utilis & amica, est, quod ubique diffamatum sit quòd multi curentur absque incisione & ossis amotione: & quia sic operando minus horrescunt ægri, & astantes, & alii, ideo istis à vulgo magis creditur. Fama autem quam omnes vulgant non est omnino falsa, ut inquit

Philoſophus. Igitur medicinis utendum & non oſſis amotione, nec tot laboribus medicinæ, ut ipſi dicunt, inſudandum.

Cap. XXIV.

De curatione vulnerum cranii tertia opinio.

Tertia eſt ſecta, rationalis dicta, quæ capitis prætactas læſiones ſæpe intendit curare, nec aliter recte curari poſſe aſſerit, niſi oſſis amotione, inciſione, & elevatione ſimulque medicinarum debitarum applicatione; de qua ſecta ſunt illi qui famigerati habentur tam moderni quam antiqui medici, nam de duabus prædictis ſectis nemo adhuc reperitur qui ſit dignus aut famoſus autor. Neque vero ſatis poſſet quis admirari, ut inquit Dinus, quod antiqui medici, qui cauſarum ſublimium fuere indagatores ac effectuum earum inventores, non cognoverint tales medicinas ſanantes prædictâ ſola earum applicatione. Sed quia doctis & expertis Medicis ſolum medicinis operari, ut infra videbitur, impoſſibile apparet ſanare omnis capitis læſiones ut: (qui de ſecunda ſunt ſecta, aſſerunt) ideo à prætactis famoſis tertiæ ſectæ

tæ autoribus alius modus & alia via medicandi est reperta, & approbata.

Ita Galenus 6. Ingenii cap. 6. & ultimo, loquens de instrumentis quibus removetur, & aperitur capitis os, inquit: *nullum enim medicamen in ossibus capitis utilius hoc cognosco.* Et ibidem etiam inquit: *item si medicamen hujus actionis existens inquirere vellemus, nullum quod nobis sine ligamento sufficiat inveniemus, qua necessitate oportet nos locum fracturæ ab omnibus quæ super os sunt discooperire, ut solum os remaneat, quatenus putredinem quæ in eo coadunatur mundificare & desiccare possumus &c.* Sed ligamentum non potest fieri in capite, ut ipse ibidem inquit: *ligamenta quæ diximus in fractura ossium corporis convenire non possunt in fractura cranii fieri, nec possumus materiam ad illud venturam prohibere, neque cursam quam habet alio expellere, quæ duo nisi ab ossibus removeantur nullatenus sanari possunt. V. G, concedatur os brachii usque ad medullam fractum esse nec ligatum, sicut diximus exstitisse, hoc sic existente cum sanies extrinsecus sub cute condunatur & interius in medulla, dico medullam prius putrefieri, deinde totum os, quod plurimum evenerit videmus ipso non ligato, quod oportet, existente. Quapropter cum tale quid in osse brachii contingat, quanto magis in ossibus*

bus capitis, cum non possis ligari. Ideoque, fracturam ossis capitis desiccare non possumus quoniam cum ligamento comprimi non potest &c.

Avicenna etiam in capitulo de fractura cranii inquit: *& de illis quæ nocent ad illud, & faciunt esse necessarium, est, quod ab ossibus aliis præter ossa capitis convertit ligamentum redditionem* (id est retropellit materiam) *& hoc ligamentum non est possibile super caput: propter illud ergo necesse est accipere os & fracturam cui est quantitas, donec egrediatur virus sicut est necessarium.* Et iterum: *si accideret virus inter os instauratum, ligatum ligamento opprimente & expellente materiam, cum jam esset generatum illud virus ex ipso loco, & penetraret ad medullam, esset nobis necessarium ut discooperiremus & mundificaremus* (supple in quocunque membro alio à capite) *non esset igitur excusatio de hac collectione, & incisione, & detectione loci, & prohibitione incarnationis ejus usque quo securus fueris. Ergo qualiter* (id est quanto magis) *In hujusmodi membro.* scilicet in capite.

Et hujus rationalis sectæ ultra Galenum & Avicennam etiam est Haly lib. 9. Practicæ cap. 84. & Albucasis tertio suo libro de chirurgia capitulo tertio, Avenzoar lib. 1. sui Thezir, tractatu secundo capitulo

tulo primo qui inquit : *si incisio usque ad profundum penetraverit, tunc omnino indiget chirurgo & operatione manus. Et hoc primo incipere debet* (scilicet panniculum à cranio excorticare) *faciendo incisionem forma crucis, & facta excoriatione & incisione removeatur os quod fractum esse reperitur.* Et Averroës lib. 6. Colligit capitulo 26, inquit : *& si fractura sit in osse cranii, ut penetret usque ad telam: tunc necesse est ut circa fissuram os removeatur, ut mundificari possit à sanie tela, ne tela corrumpatur. Nam si sic non fieret, sanari non posset. Sed hoc in loco modo non invenitur qui hoc facere sciat.*

Hi omnes, inter alios famigerati Medicinæ cardines, una convenire videntur, quod interdum in fractura cranii, de penetratione suspecta & non suspecta, necessarium sit os removere nisi prius illud amotum fuerit sufficienter. Et hujus amotionis necessitatem probant inter alios Galenus & Avicenna per rationes ab iis supra adductas. Quin dato quòd etiam posset fieri ligatura in capite, tamen non sufficeret pro cura, quia prohiberet materiam fluentem, vel etiam cursam expelleret, tantum ad extra caput, nequaquam autem intus fluentem impedire & prohibere posset, nec fluxam, si qua sit intra, ad alia loca transmittere esset sufficiens, sicut

facit

ſacit ligatura expreſſiva in aliis membris, quia fieret impedimentum à forma & à ſubſtantia capitis.

Cum autem ligatura hoc non poſſit facere (ſcilicet materiam intra fluentem prohibere, & fluxam ad alia loca tranſmittere) neque reperiatur medicamen ſufficiens hoc facere poſſe, ut inquit Galenus, interim verò unum trium iſtorum modorum, ſcilicet vel ligatura vel medicina vel oſſis amotio, requiratur ad hanc perficiendam curam, neceſſàrio ad oſſis amotionem deveniendum eſt, cum hoc non agat ſemper nec medicina, nec ligatura, nec utrunque ſimul, ut ſupra patuit.

Cap. XXV.

Declaratio & examen trium de curatione vulnerum cranii opinionum.

AD dilucidationem igitur & declarationem prædictarum trium opinionum deveniendum putavi, cum non pauci momenti ac utilitatis ſint non ſolum ægris, verum etiam medicis.

Et primo dico: ſuperius viſum eſt quid ſint ſolutiones capiti evenientes, & quæ ſint ejus particulares ſpecies: quid etiam ſit cranium omnibus eſt notum qui hujus artis periti ſunt & experti. Se-

Secundo dico: curam fracturæ capitis, suspectæ & manifestæ, fieri debere per ossis amotionem, nisi ad sufficientiam amotum sit, & cum medicinis simul; quia puto nullo modo læsiones capitis prædictas ut plurimum curari posse, nec medicinis extra adhibitis solum, nec potionibus, ut asserunt duæ primæ sectæ. Non enim assimilantur tales fracturæ in cura fracturis aliorum membrorum propter rationes superius per Galenum & Avicennam adductas; sanies enim & virulentia sub osse existens exiccari & mundificari non potest nisi præstetur illi libera via per ossis amotionem, nec ad fundum læsionis penetrare medicina potest ad illam exiccandum. Sed & ex membri nobilitate hic loci non potest stare sanies quin inducat corruptionem membri, a qua sequitur indubitata mors.

Est tamen advertendum quòd sunt aliqui casus in quibus medicinæ solæ sint sufficientes sanare absque ossis elevatione & amotionr. *Et tales casus sunt*, sicut dicit Dinus, *illi in quibus hæc concurrunt. Puta quod corpus sit bonorum chymorum in quanto & in quali: & propter bonam dispositionem non sit timor de fluxu humorum ad locum vulneris; de quo fluxu multum sit curandum; & cum hoc orificium in cute & in carne est benè amplum: & fractura etiam ossis est ampla*

pla (quæ omnia faciunt ad liberum exitum ſaniei) & quod hic non ſit os attritum, nec pungens, nec comprimens, ſive gravans panniculos: & quod panniculus non ſit attritus & contuſus, quia poſtea putrefit: & quod virtus expulſiva ſit fortis: & cum hoc quod exterius applicentur medicinæ mundificantes, exiccantes, & attrahentes, & dolorem ſedantes, temporibus ſuis. Quando iſta concurrunt dicimus quod non ſit impoſſibile vulnus cum fractura cranii eſſe, quod curari poſſit cum medicinis abſque alia operatione manuum in oſſe, dummodo æger in aliis ſit obediens medico, & medicus ſit legitimus.

Tamen talis modus curationis non eſt eligendus (ſcilicet cum medicinis) quia ut in pluribus non ſufficit, propterea quia rariſſime accidit omnia iſta prædicta concurrere ſimul; quod ſi concurrant vel omnia vel ſaltem eorum major poſſibile eſt ut ſanentur. Et hinc eſt quod iſti empirici credunt ſeſe ſanare ſemper quia interdum talibus emplaſtris ſanavere. Et hoc eſt quod decipit vulgares, inquit Gentilis, ſcilicet iſti cum emplaſtris curantes curavere tales læſiones in quibus erat magna fractura in carne & oſſe & patiens liberatus eſt: videtur autem interdum planè contrarium accidere in fiſſura capillari per oſſis amotionem,

nem; hinc nihil ultra conſiderantes arguunt: hic patiens per appoſitionem emplaſtri liberatus eſt & patiebatur fracturam tam magnam, ille autem parvam patiebatur & mortuus eſt per oſſis amotionem: & exiſtimant quòd ſi ille qui eſt mortuus fuiſſent curatus emplaſtris non fuiſſet mortuus ſed vixiſſet, Hoc itaque videntes & exiſtimantes, emplaſtrum glorificant, & laudant operationem cum eo & medicinis ſolis magis quam eam quæ fit oſſis amotione.

Quia ergo iſti ignorant effectus cauſarum, & neſciunt diſtinguere diſpoſitiones vulnerum, ſed indifferenter adminiſtrant talia emplaſtra in quocunque vulnerum, multos interficiunt, quia *ſi ſcirent*, ut inquit Dinus, *diſtinguere ſic non interficerent.*

Licet autem talis modus curationis ſine oſſis amotione ſit poſſibilis, tutior tamen eſt modus per elevationem, & medicus rationalis debet potius ei adhærere. Et ratio eſt, quia iſta illorum emplaſtra & aliæ medicinæ aut habent virtutem attractivam, aut incarnativam, aut repercuſſivam & confortativam. *Sub pluribus enim intentionibus:* inquit Dinus, *non adminiſtrantur emplaſtra, nec aliæ medicinæ.* Si quidem habent virtutem attractivam, talium uſus in principio eſt ſuſpectus & malus, quia plu-

res quam convenit trahent humores ad locum, & ſic erit cauſa apoſtematis, quia in principio ex ſe currunt humores, & non indigent tunc attractione ſed repulſione, & loci confortatione; nam hac de cauſa à principio oleum roſatum ponitur in vulneribus & læſionibus prædictis capitis.

Eſt etiam ſuſpectus uſus incarnantium à principio, quia in pluribus non ſumus ſecuri de effuſione humiditatis ſupra panniculum & inter partes oſſis fiſſi; quia ut plurimum corpora ſunt immunda, & in pluribus non poteſt ſic ſubita exiccatio fieri, quin aliquid humiditatis quæ eſt ibi, ſaltem in vulnere facto in carne, à ſuperiori ad inferius defluat inter partes fiſſuræ, quæ humiditas niſi mundificetur & exiccetur putrefaciet alias partes. Et raro accidit ut tales læſiones non tranſeant in ulcera, propterea quia in capite, ex modo compoſitionis ipſius, non poteſt fieri ligatura conſtringens incarnativa appellata. Ergo ut plurimum tranſeunt in ulcera. In ulceribus autem continue multiplicatur humiditas propter cauſam dictam à Galeno tertio ingenii capitulo tertio, qui inquit: *ſed tamen cum in carne generantur quædam, duo efficiuntur, unum groſſum & aliud ſubtile, quæ non in ſolis vulneribus,*

dum

dum caro restituitur, oriuntur, sed etiam in toto corpore. Subtile autem quod de corpore dissolvitur aliquando dissolutione quidem occulta dissolvitur, aliquando palam. Causa autem est defectio caloris naturalis, aut multitudo cibi ultra modum suscepti, aut nimia & fortia exercitia virtutem dissolventia & prægravantia. Grossum vero lutum fit quod in nostris corporibus efficitur. Subtile quoque vulnus humefacit, grossum vero illud putrefacit, unde duo medicamina necessario conveniunt, desiccativum videlicet in hoc quod est humidum, & mundificativum, eo quod putridum. Cum enim natura non deficiat à sua actione, necessario incessanter hæc duo in vulneribus oriuntur, igitur nullum tempus est in quo hæc duo medicamina non sint necessaria &c. Litera tamen Galeni est mala. Ideo ex prædictis concludendum est, quòd medicina incarnativa non convenit; quia non exiccat, nec mundificat tales humiditates, & ita incarnando (id est consolidando) tales materiæ ibi clauderentur, quæ postea putrescerent, & curam impedirent, & fortè mortem inducerent.

Si vero talia medicamina haberent virtutem repercussivam & confortativam, tunc usus talium sine ossis amotione esset etiam causa retentionis humiditatis, quæ jam est aggregata in loco à principio illuc fluxa &

ibi retenta putrefiet, &, ut ſupra dictum eſt, mortem poſſet inducere.

Propter quòd dico uſum medicinarum ſolum non convenire, quia non ſufficit in pluribus: & maximè cum tales empirici ſemper procedant unâ medicinâ, tam in principio quam in medio & in fine, quamvis unus utatur una, & alter altera, quia tot ſunt medicinæ quot ſunt operatores. Et quia medicus debet ſemper eligere viam ſalutis & tutam, debet igitur hanc rationalem ſectam imitari.

Ideo & prudens Avicenna dixit: *non eſt ergo excuſatio de hac collectione, & detectione inciſione, & prohibitione incarnationis, quouſque ſis ſecurus, & ſi (*id eſt dato*) etiam quod non ſit timor curſus virus uſque ad interiora oſſis, tamen incidimus.* Ecce quod Avicenna dicit, dato etiam quòd materia non currat ad intra, caput tutius tamen eſſe adhuc aperire & detegere os, *niſi in caſu*, ut inquit Nicolus, *in quo cura per amotionem oſſis non poſſit fieri, aut quia non fuerit idoneus operatur: aut quia patiens, & aſtantes, & affines omnino renuerint operationem chirurgi: aut quia æger multum debilis ſit, & ſimilia.*

Dicit autem Lanfrancus: *novi longe experimento quod multo plures curantur medicinarum modis quam perforantium trepanorum*

rum. Et ſubdit : *ego autem non utor inſtrumentis ad removendum os, niſi in duobus caſibus, primus eſt, ſi cranium adeo fractum fuerit ut pars fracta partem ſanam ſubintraverit : ſecundus ſi aliquod fruſtulum oſſis, quod duram pungat matrem, à cranio ſeparatum fuerit.* Et ſubdit : *in his duobus caſibus, quoniam dura mater compreſſa eſt per caſum primum, & puncta per ſecundum, dolores ſentiens humores currentes ſuſcipit & apoſtematur, quod eſt cauſa malorum accidentium & mortis : & ſic cogor nocivum os inſtrumentis removere, in aliis autem fracturis alio modo procedo &c.* Subdit etiam : *Et cum mihi objicitur : quomodo poteſt ſanguis & ſanies ſine oſſis elevatione exiccari qui per rimulam ſupra duram matrem derivavit? reſpondeo : quod ſicut materia phreneſis multoties, & quod magis eſt lethargia, per emplaſtra exterius poſita reſolvitur, ubi non eſt cranii fiſſura nec vulnus in capite, multo melius ſanguis levis & reſolubilis qui per rimulam deſcendit, cum eadem rimula via ſit, poteſt per eam melius exhalare; nec eſt ſanguis ille in duræ matris ſubſtantia, ſicut in apoſtematibus, inviſcatus, quare melius expulſioni naturæ meliuſque medicinarum obedit attractioni.*

Nicolus eriam autoritate quorundam dicit, quod in duobus aliis caſibus eſt re-

nuenda via medicaminum. Primus eſt quòd ſi in oſſe fuerit contritio (id eſt comminutio) in fruſta ſeparata, tunc cura cum emplaſtris eſt omnino renuenda, quoniam ſi os comminutum intus remanebit neceſſario putrefiet & corrumpetur: alter eſt, ſi fractura ſit arcta, ſtricta, & capillaris, quia non poteſt emplaſtrum, quantumcunque ſit attractivum, ſorditiem deſubtus extrahere, obſtantibus anguſtiâ fracturæ & oſſis denſitate, Inquit etiam Nicolus: *ſunt multi alii dicentes curationem cum emplaſtris ſine alia operatione manus magis eſſe eligendam exceptis tribus caſibus, Primus eſt ubi cutis non eſt aperta, tunc enim aperiatur ſufficienter ante emplaſtri appoſitionem. Secundus caſus eſt in oſſis comminutione, in qua contingat fruſtum ab oſſe aliter ſeparari, ſive ab intra ſive ab extra, unum vel plura, quoniam requiritur ingenium ad illius fruſti amotionem quam emplaſtrum facere non poteſt, ſaltem ſi magnum fuerit; & etiam, ſi illud os, vel non ſeparatum vel ſeparatum pungat panniculos, eſt amovendum. Tertius caſus eſt, ſi os eſſet placatum gravans, & comprimens panniculos; in hoc enim caſu tale os eſt elevandum & à compreſſione prohibendum.* Fatentur tamen illi quod noſtri temporis operatores omnes cum emplaſtris ſint idiotæ, imperiti, & ignorantes, & quomodo

modo & quando & quo emplaſtro uti debeant neſciant, ideoque maximum eſſe periculum ſe ponere in manibus eorum; ſed ſi reperiatur vir probus & in arte bene inſtructus qui ſciret debitis & rationabilite uti medicinis, ipſum magus eſſe eligendum quam manualem operatorem.

Conciliator etiam differentia 181. concedit emplaſtra poſſe ſanare abſque oſſis amotione, exceptis tribus caſibus. Scilicet, Primo quòd non conveniant ubi jam adſunt mala accidentia. Secundo, ubi propter contuſionem ad intra ſupra duram matrem ſfluxi ſunt humores fracto cranio: maxime ſi materia non habeat liberum exitum unde poſſit expurgari, quia quod ibi non ſit foramen ſufficienter latum vel ſi ſit quod non ſit in decliviori loco læſionis, à quo foramine non exeat libere ſanies aggregata. Tertio quando fractura non penetrat, & curſus factus eſt prædictus, quod ex accidentibus cognoſci poteſt.

Pro declaratione aliquorum quæ ſuperius dicta ſunt, quia variæ recitatæ ſunt opiniones de iſto modo operandi, (quia aliqui volunt in aliquibus caſibus detegendum eſſe os, aliqui non, ut prætactum eſt) dico ego primo & ante omnia medicum debere eſſe virum prudentem & bene in arte inſtructum, & exercitatum, & de-

bere ante omnia habere optimam cognitionem de compoſitione capitis per Anatomiam, & ſcire diſtinguere læſionem à læſione, an ſit ſimplex vel compoſita, & cum quo compoſita, & non confidere etiam ſibi ſoli, ſed debere habere ſecum alium medicum ſibi ſocium & amicum, ut inter ſe bene ruminent an caſus indigeat oſſis amotione vel non: nam ita operantibus ſuccedet bonus finis.

Quamvis autem Lanfrancus dicat ſolum in duobus caſibus prædictis debere os removeri: & quamvis Nicolus etiam autoritate aliquorum quorum nomina non dicit, excipit primo duos alios caſus, deinde tres: non obſtantibus etiam exceptionibus à Conciliatore prædictis, ſunt tamen aliæ ſpecies læſionum in capite in quibus requiritur oſſis amotio. Sub exceptionibus tamen Conciliatoris multa continentur.

Et ego in hoc conſentio cum ſolerti & diligenti Dino, ſcilicet quòd tutius ſit ut fiat oſſis amotio in quacunque prædictarum læſionum, niſi in illis in quibus ſunt conditiones à Dino prænarratæ: quia nulla eſt ſpecies de prædictis à me ſupra, in qua aliquando non requiratur oſſis amotio, & ideò maximè, quia raro concurrunt conditiones prænarratæ à Dino, ſcilicet ut corpus ſit bonorum chymorum, & fiſſura ampla &c.

Dico

Dico quidem ego (& ſic puto mentem eſſe Galeni & ſequacium) quod interdum medicina iis ſufficiens (præſuppoſitis quæ à Dino ſupra iis dicta ſunt) ſanare læſiones prædictas capitis abſque oſſis amotione; ſed quod hîc dicitur contra empiricos dicitur, quòd non ſemper ſit cum medicinis procedendum. Lanfrancus etiam & alii à Nicolo recitati & ipſe Conciliator perverſe ſentiunt, teſte Guidone de Cauliaco cap. de fractura cranii, dum aliquem modum rupturæ excipiunt, quamvis aliqua ſpecies fracturæ ſit deterior altera.

Verum eſt quod Galenus & alii rationales medici procedunt in oſſe amovendo diverſimode, modo ſubito, modo tardè, modo tardius; & ego ſum hujus opinionis & propoſiti medicum qui recte vult procedere & operari, debere prius uti medicinis & ſemper uſque quo cogatur ad oſſa removenda. An autem ſic vel aliter ſit operandum indicabunt accidentia, ut latius dicemus quando de chirurgico inſtrumento fiet ſermo.. Et hujus opinionis eſt Celſus de cura calvæ, qui inquit: *in omni vero fiſſo fractove oſſe protinus antiquiores medici ad ferramenta veniebant quibus hoc excinderent, ſed multo melius eſt ante emplaſtra experiri &c.*

Sileant ergo Conciliator, & Lanfran-

cus, & ſequaces, cum dicunt amotionem oſſis non faciendam niſi in certis caſibus.

Unum tamen dico, quod medicinæ quæ debent applicari ante oſſis amotionem, non debent eſſe empiricæ, nec ab empiricis adminiſtratæ, ſed debent eſſe rationales & à medico rationale adminiſtratæ.

Et hoc eſt quod dicit Nicolus quorundam autoritate, quod, ſi reperiatur vir probus & expertus, qui ſciat uti medicinis loco & tempore debitis, ille modus ſit magis eligendus, quam operator in oſſe amovendo. Ego vero aliter ſentio, & dico quòd eligendus ſit medicus qui ſcit uti opere manus in oſſe amovendo, quia, quando opus erit, utetur medicinis debitis.

Sed unum valdè præcipuum nolo operatores hujus artis ignorare ſcilicet de melioribus intentionibus ad læſiones capitis eſſe, ut in prima hora vel ſaltem in prima die aperiatur taliter cutis ut ſi contingat os amoveri, talis dilatatio ſufficiat ad operandum, niſi prius ſit lata ſufficienter. Ex iſta enim dilatatione ſequentur juvamenta à nobis ſuperius alias narrata.

Sic ergo hæc noſtra concluſio, quod in contuſionibus & in perforationibus capitis habendus ſit legitimus medicus, cui obediant ægri & aſtantes.

Cap.

Cap. XXVI.

Solutio objectionum primæ & secundæ opinionis.

EX his qua dicta sunt possumus solvere objecta maximè secundæ sectæ. De prima enim secta parum vel nihil cogitamus quia in usu non est, nisi apud deviantes à Fide Christianâ. Certe in læsionibus capitis minus illis potionibus credo quàm illi Hebræi Christo, sed in fistulis & malis ulceribus affirmo tales potiones conferre, & illis in hoc adhibeo fidem quia pluries eis usus sum, & illas in prædictis ulceribus laudo. In vulnere etiam spiritalium membrorum etiam illis ego usus sum, & vidi laudabilem effectum consequi, maxime si in pectore sit sanies multa quæ exiccatione & mundificatione indigeat. Tales potiones sunt tunc administrandæ, quia dubium est tunc de conversione talis dispositionis in fistulam. Hisce potiones hic infra describam, cum in hoc secundo instrumento potionis, ut promisi, de medicinis tam extrinsecus quam intrinsecus applicandis intendam determinare: ut ita aliquid de quacunque secta in hoc nostro opere dictum inveniatur. Solu-

Solutio ad primam rationem. Cum dicitur, *quod potest fieri per pauciora etc.* respondetur, quod fiet offis amotio cum medicinæ non perficiunt opus.

Ad fecundam: *quod melius est sine horrore &c.* hoc eft verum, fed tamen cum medicinæ non funt fufficientes, ad opus devenitur manuale, in quo quæritur ut non fiat dolor nec ruptura nec punctura quantum fieri licet; interdum tamen dolor eft medicina doloris.

Ad tertiam dicendum, quod medicinæ removent forditiem & omnem faniem fi poffunt pervenire cum fua fubftantia ad profundum loci læfi, at alibi non; & longè melius penetrant & ad locum perveniunt offis amotione facta.

Ad quartam, *malum malo addere est malum &c.* dico: quod per amotionem offis non additur malum malo, fed removetur malum à malo: nec etiam in offe operari eft tam grande malum, ut putant aliqui.

Ad quintam, *dantur medicinæ exiccantes faniem in exituris &c.* fed velle expectare exiccationem faniei in profundo capitis, effet expectare mortem, propter membri nobilitatem; *in membris enim nerveis & nobilibus non expectatur præfata exiturarum maturatio*, ut inquit Avicenna.

Ad fextam, *dantur medicinæ attrahentes*

offa

ossa & spinas &c. hoc est verum; sed non ita subito, & periculum est de mora saniei, ut supra dictum est,

Ad septimam, *per poros & fissuram potest exire sanies &c.* dicendum quod non semper, aut quia multa & grossa, aut quia virtus expulsiva debilis est; nec tunc tempore debito juvabit medicina, atque ita tardè exiret sanies & ita sequeretur mors.

Ad octavam *quod à Galeno, Serapione, ab Haly, & à tot peritis autoribus procedatur cum medicinis &c.* dicendum est, ut dicunt quidam, quod illi intelligunt cum medicinis procedendum esse in illa fractura ubi sufficienter ossa amota sunt, non autem in fissura capillari. At alii dicunt, quod prædictorum autorum sermones referuntur ad solutionem capitis ubi cranium non est fractum. Alii dicunt quod prædicti autores ponunt talem modum cum medicinis, ut ostendatur quod talis modus interdum sit possibilis & dicunt quod etiam sic intellexit Avicenna cap. de fractura cranii verbo illo: *in fissuris vero in quibus non est nisi suffura &c.* Dicunt etiam, quod præfati autores ubi loquuntur de soda, ponunt solum modum curæ cum medicinis, quia eorum intentio hic loci principaliter non est loqui de vulneribus capitis; sed, quia præsupponunt sufficienter alibi de eis fracturis dixisse cum operatione manus in osse

amo-

amovendo, ideo hic tantum dixerunt de medicinis, intendentes tantum ad doloris sedationem, hoc est sodæ.

Ad illud autem quod dicit Avicenna *& principium quidem consistit in emplastris &c.* dicitur; Avicennam velle quod à mdeicinis sit inchoandum, quia citius per illum modum introducitut salus. Ita & ego supra dixi prius ab eis incipiendum esse & sic usque in finem procedendum nisi sit quod talem modum impediat, bruscatio enim, & raspatio, sive incisio in osse tardat curam. Rectificatio igitur, (id est sanatio) erit velox si medicina solâ possumus uti.

Ad nonam *quod cura carabiti & lethargiæ est possibilis cum medicinis &c.* nego similitudinem, quia materia in apostemate non est ita putrida ideoque nec ita mala nisi veniat ad exituram sicut in vulnere, nec ita in uno loco unita & aggregata; ideo minus nocet & resolutioni magis apta est, nec caput est ita debile in expellendo, sicut ubi est vulnus.

Ad decimam *quod oportet prius bonam complexionem introducere &c.* dico, ossis amotionem malam complexionem removere interdum melius quam medicinam quia præbet iter ad expurgandum materiam malam complexionem inducentem, & illa

uti

uti debemus ubi non confert medicina.

Ad undecimam dicendum eſt, ut inquit Dinus, quod in fama quam dant laici & vulgares, qui non cognoſcunt ea quæ ſunt artis medicinæ, parva èſt ponenda cura, quia eſt mendoſa: nec tali famæ eſt credendum, nec aliquid veritatis in ſe habet.

Et ſic ex iſtis ſolutionibus, & etiam ex aliquibus ſuperius dictis, puto objectiones ſecundæ ſectæ ſolvi poſſe, immo ſufficienter ſolutas eſſe.

CAP. XXVII.

De evacuantium uſu in cranii fracturâ.

CUram quæ fit per medicinarum exhibitionem continuantes fundamentum incipiemus à dictis Galeni lib. 2. memiri capitulo de cephalalgia à percuſſione, qui inquit: *Contingit autem multoties in ruinis ex alto ſcindi aliquam earum, quæ ſecundum cerebrum aut meningem ſunt particularum; quo contingente cephalalgia fit fortior & tota diſpoſitio difficilius curabilis & periculum acutius & vehementius. Optimum igitur eſt his, ſi neque ætas prohibet, neque vitalis virtus in-*

infirma videatur, principium sanationis à phlebotomia facere, & successivis embrocationibus in capite uti, in oleo dulci infundendo lanas & iis illud cooperiendo. Si autem probibeamus propter aliquod horum, vel propter ambo sanguinis ablationem facere, evacuabimus ventrem per clysterem. Et quidem evacuandi gratia ea quæ in ipso sunt; magis tamen adhuc gratia antispaseos humorum, qui consueverunt ad patientes particulas ferri. Deinde his quæ ad phlegmonias, utemur auxiliis. Hoc totum repetitur etiam a Rasi primo Continentis ejusdem Galeni autoritate.

Ex prædictis autem cognoscitur excellentia clysterum in læsione capitis: quia evacuant & divertunt, & hoc fortè non faciunt aliæ medicinæ.

Laudantur etiam clysteres à Serapione in cura sodæ à percussione, inter alias medicinas, ubi inquit: *clyster evacuat illud evacuatione meliori, quoniam inferius est longius locorum, & contrarium in rectitudine: quare attrahit materiam ad partem contrariam parti ægritudinis.*

Cura igitur à phlebotomia inchoanda èst, nisi à vulnere sufficienter fluxerit sanguis. In qua phlebotomia facienda consentiunt omnès autores & Serapio, & Haly, & alii, in cura sodæ factæ à percussione.

Et

Et *phlebotomia fiat in prima hora* inquit Paulus; id eſt quanto citius, tanto melius.

Sed Haly lib. 5. Theor. cap. 10. inquit. *Cui autem cephalea ex percuſſione aut caſu ſuper caput contingit, acceleranda eſt phlebotomia, ſangniſque juxta quod opus eſt educatur ut virtus conſulit. Sed hanc phlebotomiam præcedere debet ventris evacuatio, quæ fiat vel à natura vel ab arte.*

Inquit Nicolus voce aliena: *dicunt hoc, cum ſtatim poſt percuſſionem ad patientem veneris, conſidera an adhuc cibum indigeſtum in ſtomacho habuerit, & ſic vomitum provoca illius: ſi vero à ſtomacho deſcenderit, clyſterem lenitivum impera, deinde phlebotoma.*

Ideo dicitur lib. 15. Continentis: D*ico horribilis eſt minutio ante digeſtionem cibi, qui eſt in ſtomacho meſeraicis venis: quoniam facta mutatione attrahitur aliquid de eo quod in venis & ſtomacho eſt ad epar, & meatus ejus ad reſpectum vacuitatis ſunt ſtricti. Et incongruum eſt ut attrahatur crudum ne fiat in venis humor crudus nocivus eis, qui non digeretur ſed putrefiet & augebit febrem, aut inferet ei aliquod pejus. Ideo expectanda eſt minutio, ſi opportunum fuerit, donec integre fiat digeſtio; ejus ſignum habetur per urinam croceam & allevationem cor-*

poris, suscitato modico appetitu cibi &c.

Idem dicit Avicenna quarta primi cap. de phlebotomia. *A minutione* inquit *præterea cavere debes super cibi repletione, ne materiam non maturam ad venas trahas loco ejus quod ab eis evacuasti: & oportet etiam ut tibi caveas ab ea in repletione stomachi & intestinorum, facta ex fece jam consecuta & propinqua. Immo in evacuando eam stude, & illud quidem quod est in stomacho aut circa illum vomitu: & quod in intestinis inferioribus, quomodo poteris, & si non alio, saltem clystere &c.*

Tamen communiter practicantes fugiunt vomitum in dispositionibus capitis, sed expectant integram digestionem, & præmisso lenitivo clystere, si natura ex se non operata est, phlebotomant.

Et phlebotomia, secundum Rasim lib. 1. Continentis, & Avicennam in cap. de cura sodæ, fit ex cephalica aut ex nigra. Dicit etiam Rasis quod quater phlebotomandus sit in duobus vel in tribus diebus: intellexit autem qui est debili corpore, seu ut inquit Nicolus, qui est consuetus phlebotomari & cui de vulnere multus exivit sanguis. In isto tamen casu moderni laudant ventosas, & aliqui sanguisugas: & ventosæ quidem in spatulis & in natibus communiter in tali casu applicantur, sanguisugæ verò circa venas ani. Ob-

Observant etiam moderni hanc regulam: quòd si non sit plethora minuunt cephalicam oppositæ partis, quandò verò plethora minuunt nigram, & si major plethora prius nigram, deinde cephalicam. Aliquando fit de basilica vel de venis capitis longioribus, secundum quantitatem plenitudinis, quia quanto major fuerit plenitudo tanto plus à longo debet fieri. Nota autem quod non debet prolongari inter duos diametros, quia debilitaret & non educeret à loco læso.

Porro confert phlebotomia præ cæteris minutionibus ne fiat apostema sicut intenditur in principio omnium læsionum capitis prædictarum, & ab Avicenna in capitulo de fractura cranii docetur. *Quod si* inquit *apostematis calidi causa est manifesta tunc oportet ut abscindas causam illam velociter; quod si est ex causa occulta*, (id est humorum repletione) *tunc stude in separatione ejus & administra phlebotomiam venæ si non fuerit aliquod prohibens &c.*

Et ratio Avicennæ est hæc, ut ibidem dicit Dinus: *quia sæpius apostema accidit ex fluxu sanguinis quam ex alio humore, tum quia sanguis maxime est aptus fluere, tum etiam propter abundantiam ipsius majorem, tum etiam propter nobilitatem ipsius.* Iterum: *etiam phlebotomia est evacuatio maxime di-*

ſtrahens; hoc autem à principio, quia apoſtema generatur maxime ex fluxu humoris: ideo competit illa: maxime autem competit diſtractionem facere ad partem oppoſitam. Et quia hoc maxime facit phlebotomia & cito etiam, hinc tanto ſupra frequentiorem facit Avicenna mentionem de phlebotomia quam de alio modo evacuationis.

Conveniunt autem alii etiam modi evacuationum (ſcilicet per pharmaciam) maxime apoſtemate perſeverante. Ideo ibidem parum infra dixit Avicenna: *quod ſi apoſtema calidum perſeveret, & non ſit aliquid quod prohibeat ſumere medicamen ſolutivum, ſolvens ſemel fiat: ipſe enim Hippocrates præcipit illud.* Et idem Dinus inquit; *competentia autem pharmaciæ plus eſt in apoſtemate perſeverante, quia tunc per evacuationem quæritur eradicatio humoris, qui eſt in membro apoſtemato contentus.*

Et Avicenna dicit hoc pharmacum debe eſſe leve, ſolvens ſemel, ut non augeat inflammationem, ſicut faciunt medicinæ fortes. Et tale pharmacum eſt ſicut caſſia fiſtula, manna thamarindi & ſimilia: interdum tamen aliqui utuntur rabarbaro & agarico. Dinus tamen inquit, quod Paulus dicat ſolutivum debere eſſe cholagogum. id eſt, choleræ eductivum. Benè autem ſentit Paulus, quia apoſtema

quod

quod generatur in panniculis generatur de materia ſubtili, in qua vel cum ſanguine vel cum aliis humoribus ſemper eſt cholera: cholera ergo evacuanda eſt, cum medicina tamen levi, propter rationes prædictas,

Serapio & Avicenna in cura ſodæ à percuſſione facta phlebotomia ordinant clyſteres etiam ſatis acutos cum ſale & cum colloquintide. Inquit enim Serapio, quod in clyſtere ſint duo juvamenta) ſcilicet evacuant & divertunt. Sint autem acuti ſi non adſit febris: ſi vero adſit febris dicunt clyſteres adæquari debere, ſcilicet ut nec acuti, nec etiam multum leves ſint quia alioqui non diverterent nec evacuarent. Et ſi clyſteres non conferunt jubent dari pilulas cochias non ſtante febre.

Dicit tamen Avicenna *quod ſi habuerit calorem qui febre ſit minor* (id eſt, ſi diminute febriat) *non prætermittas ipſarum potionem neceſſaria enim eſt evacuatio, ut ſecuretur ab apoſtemate.*

Nota autem quod tales pilulæ & tales clyſteres non dantur niſi in complexione phlegmaticâ frigidâ, & in robuſto corpore, & in frigida hora, & ubi non eſt febris; ratio eſt tacta ſuperius. Verum eſt quod clyſteres æquati (id eſt, temperatè attrahentes) conveniunt mirabiliter uſque

ad securitatem apostematis; ultra vero illud tempus sint lenitivi, ad feces remolliendas, quantum ad majorem eorum virtutem, aliqualiter tamen trahentes: puta cum decoctione malvæ, bliti: & foliorum violarum, cum modico furfuris, addito parum mellis rosati, vel sacchari rubei, vel vini cocti cum oleo violato, sale & vitello ovi.

Quando autem dubitatur de apostemate, addatur mercurialis in decoctione, & aliquid hieræ picræ & cassiæ: quamvis etiam cassia conveniat transacto apostemate. Si tamen intense febriat æger addatur lactuca & scariola in decoctione.

Quidem interdum faciunt clysteres fortiores addendo in decoctione parum stæcados, & parietariam, & diaphæniconis drachmas ii, & totidem de hiera faciunt etiam fortiores addendo in decoctione colloquintidem, & alia mordicantia & attrahentia, maxime ubi dubitatur de apostemate, ante tamen quam fiat apostema,

CAP. XXVIII.

De legitimo localium uſu in cranii fractura.

FActis iſtis evacuationibus, ut corpus bene ſit mundificatum, ad localia deveniendum eſt, non quidem quaſi propter hoc medicus interea temporis debeat abſtinere à rationabili cura ſed quia rationabilius poſſunt applicari antidota mundato corpore quam ante. Et cura localis ſit iſta.

Primo & ante omnia ut inquit Avicenna cap. prædict. de ſoda, *ſi illic eſt vulnus, prius illud medicetur, & complexionem tempera.* Adverte autem lector quod Avicenna & etiam Serapio ubi ſupra, non intelligunt de vulnere plus penetrante quam non penetrante, hic loci cum dicunt: *& prius illud medicetur & complexionem tempera*: quia ibi magis interdunt curam apoſtematis & ſedationem doloris quam vulneris. Cum autem dicunt: *cura vulnus & complexionem tempera*: remittunt nos ad alia loca in quibus fuſius locuti ſunt de ſoluta continuitate in capite, & maxime Avicenna. Recurramus ergo ad capitulum de

fractura cranii quinta quarti, & ad primam tertii de plaga capitis: quia ibi habetur modus curandi vulnus, & malam complexionem removendi; qui modus est à me dictus supra de cura vulnerum exteriorum. Nam quamvis ille modus à nobis sit positus pro læsionibus, exterioribus convenit tamen etiam, ut supra diximus læsionibus interioribus quantum ad localia multa.

Sed quia hic loci, ultra ea quæ dicta sunt superius de cura apostematum exteriorum, alia Antidota declarare intendo, de illis igitur sermonem aggredior. Et ne sim tædiosior in adducendo autoritates, hic loci maximè tantum sumam autoritatem Avicenna ex cap. de cura sodæ, quia eadem remedia & eadem intentiones sunt adductæ ab Haly, & à Serapione quæ ab Avicennæ. Ita autem loquitur: *quod si non fuerit*, (apostema) *emplastretur locus cum eo quod locum confortat. Qualia emplastra sunt quorum aquæ sunt sicut aqua mirthi & salicis, & quorum olea sunt sicut oleum mirthinum & liliaceum & rosaceum, & eorum permixtiones sunt, in quibus est stipticitas subtilitas & resolutio pauca sicut rosa, camomilla, melilotum, calamus aromaticus, bolus armenus, & alumen jameni, cum vino odorifero. Et fortasse contentus eris oleis ex*

eis ;

eis; recte autem agit qui eis utitur tepidis. sed fortasse dolor & timor apostematis facit necessarium ut parumper infrigidentur.

Inquit etiam: *quod si locus incipit apostemari, tunc necesse est administrare frigida fortis stipticitatis & infrigidationis, sicut cortices granati, & balaustia, & lentes, & rosas; embrochando caput ex aquis eorum, & faciendo emplastrum ex fece eorum. Deinde post illud fiat permutatio ad illud in quo sit subtiliatio: qualia sunt cupressus, mirica & citonia, & olibanum &c.*

Iste textus est bene masticandus, & judicio meo, sic est intelligendus. Scilicet quod medicinæ ab Avicenna prædictæ sint stipticæ omnes (quamvis olea sint minus stiptica) excepto oleo liliaceo quod non est stipticum; & istæ medicinæ sunt ex parte ordinatæ ad prohibendum cursum humorum ad caput, antequam incipiat fieri apostema, quæ medicinæ dicuntur loci confortantes non fortis stipticitatis: ex parte sunt ordinatæ ad prohibendum ne fiat apostema dum jam incipit fieri, & sunt fortiores in stipticitate: ex parte denique dum jam apostema factum est, hoc est, in declinatione, & sunt subtiliantia, id est resolventia.

Stante igitur tali sententia in dictis Avicennæ est cogitandum quod apostematur ca-

caput vel ſtante plaga, vel non: Dicendum autem eſt quod non, quia per ipſum dictum eſt *nam ſi illic fuerit vulnus oportet ut medicetur*: atque ita deinde dicit: *quod ſi non fuerit* (ſupple *vulnus*, ſicut dicit Jacobus de Partibus) *tunc emplaſtretur locus &c.* Dicatur ergo, quod iſta conveniunt ubi non eſt vulnus. Atque ideo ponit curam humorum currentium & facientium apoſtema, in contuſione capitis ſine vulnere. Neque aliter poteſt intelligi.

Dicamus ergo talia remedia debere adminiſtrari cum cautela. Quin dico, quod talia remedia non debent applicari loco proprio læſionis, quia prima horâ, non rupta cute in contuſione, ad extra caput currunt ſubito humores notabiliter apoſtemantes; ideoque non conveniunt talia in loco quia conculcarent materiam & eam redderent ineptam reſolutioni, & forte eſſent cauſa putrefactionis membri, quæ eſt ſatis verenda in capite, cum repercuſſio pura non conveniat augmento notabili, ſicut docet Avicenna quarta primi, & tertia quarti de cura temporum apoſtematum in univerſali.

Non conveniunt etiam quia tale apoſtema eſt factum à cauſa primitiva: nam & ipſe Avicenna quarta primi prohibet talia repercuti dum inquit: *ea autem quæ pro-*

propter causas accedunt primitivas, ubi non est humorum repletio, medicari debent in principio rei, cum eis quæ fluxa faciant & resolvant &c.

Apparet ergo quod tales medicinæ debent applicari circum circa locum & non in loco apostemato, quoad virtutem repercussivam. Crederem tamen ego factis universalibus medicinam repercussivam posse administrari in apostematibus capitis etiam intrinsecis, & aliorum membrorum, quantum ad eorum principium à causa primitiva factis, maxime si causa sit vulnus & non contusio: quia per repercussionem in vulnerato membro non retinetur nec conculcatur materia, à qua causetur membri corruptio, sed fit membri confortatio, & materierum facientium apostemata repulsio; in contusione autem semper est materia quæ indiget mollificatione & resolutione. Ideo dixit Avicenna *recte agit qui oleis utitur tepidis*, & hinc applicat oleum liliaceum cum rosato & myrthino, quia ex istis omnibus redditur medicina leviter resolutiva & leviter stiptica, & sic resolvit membrum confortando. Neque aliter sunt intelligendi autores nisi modo prædicto.

Apostematis vero intrinseci à causa primitiva facti una tantum est cura, scilicet prohibere ne fiat: quia si fit, raro evadit æger.

æger. Poſita tamen eſt ab Avicennâ cura in capitulo de fractura cranii, quæ completur cum oleo roſato quantum ad localia, & interdum emplaſtris ibidem ab Avicennâ ordinatis, factis ex althea, fenugræco, & ſemine lini, & camomilla, item embrocatione cum decoctione prædictorum. Convenit etiam emplaſtrum ex farinâ hordei, & ſemine lini & aqua & oleo etiam, cum adipe gallinæ vel anſeris, lana: & diſtillare in aures olea anodina: & inungere caput, cervicem, & ſpondylia, & facere ſedere infirmum in aqua calida, & ipſum inungere cum oleis prædictis. Evacuatio etiam tali tempore (ſcilicet in principio apoſtematis) confert cum levi pharmaco, ut ſupra tactum eſt.

Et hoc ſit quantum ad ea quæ a nobis apparent dicenda ſuper capitulo prædicto Avicennæ.

Quibus apoſtematibus, inquit Raſis primo Continentis autoritate Apollonii, *melior medicina eſt reddere ventrem fluxibilem, & minuere cibum & prætermittere vinum.* Et ibidem inquit de ſoda à percuſſione: *dico quod ſi cognoſcis quod ſoda ſit ab apoſtemate, melior cura eſt phlebotomia, & clyſterizare, ut trahatur materia ad inferiora. Et ſi cutis eſt ſalva ſuper ponatur oleum roſatum, & acetum: at ſi apoſtema & ſoda*

ſunt

ſunt magna cave ab aceto, ſed eſt ponendum ſolum oleum roſatum tepidum. Et cum eſt in declinatione pone mollificantia. Et ſi apoſtema eſt durum pone in eis mentaſtrum, & abſinthium, & ſimilia.

Inquit etiam ibidem: *inveni ſcriptam hanc medicinam conferentem percuſſioni, in qua movetur cerebrum, & multotiens fui ipſam expertus, & inveni eam magnæ efficaciæ: tamen ignoro componentem ipſam. Recipe frondes mirthi, & vitis & mentaſtri, & ſanſucum terræ, & fac emplaſtrum, & capiti applica.*

Inquit etiam ibidem: *quando eſt ſoda causâ percuſſionis, ſi non adeſt vulnus curetur cum calefactoriis & oleo tepido, & caveat patièns à balneo, ira, vino, & cibis calidis.*

Inquit etiam ibidem: *Et in ſoda accidenti ex percuſſione fiat phlebotomia in principio: poſt accipe ſaccum frondium ſalicis, & mirthi, & oleum liliaceum, & vinum odoriferum, & mirrham, & melilotum, & calamum aromaticum, & alumen jameni, & lutum armenum: & fiat emplaſtrum capiti, & provocetur, aſſella, & ſubtilietur diæta.*

Inquit etiam ibidem: *cum ſoda accidit ex percuſſione calefac caput cum lana intincta in oleo calefacto: & provocetur fluxus leviter*

&

& caveat à sole, balneo, potu vini, à labore; à cibis acetosis & acutis: & aspergatur super caput calida, & si est in capite vulnus, pulverizetur desuper resina vel aloë, & thus mixtum cum melle, & bene ligetur.

Vides lector quòd medicinæ à Rasi positæ non sint à prædominio stipticæ; Apparet ergo textum Avicennæ, de soda à percussione, à me bene fuisse expositum.

Cap. XXIX.

Digressio: cur Avicenna plurimis in locis non addiderit medicamentorum localium doses.

UNum nolò silentio pertransire: scilicet quod sunt multi qui admirantur quod Avicenna in uno capitulo ad quamcunque ægritudinem ponat multas medicinas diversarum complexionum, non ponat autem earum doses, si contingat ex eis componi emplastrum, linimentum, vel aliquid aliud locale.

Quibus admirantibus & dubitantibus dicam quæ mihi occurrunt: Nempe ideo id factum esse quod medicus præcise non potest ex simplicibus componere medici-

nam

nam, quæ totaliter conveniat ægritudini, ut monſtrabitur: quia una medicina convenit uni ætati & alteri non, & uni complexioni & alteri non, & in uno tempore altero vero non. Quod conſiderans Galenus l. 2. memiri cap. de cephalalgia à percuſſione, inquit: *Diſpoſitio enim ſubnunciat nobis auxilia: quantitatem vero uniuſcujuſque & particularem in materiis differentiam, coindicat patiens particula, & craſis hominis laborantis, & cum his vitalis virtus deinde ætas & craſis continentis aliis alia fiens, ſecundum regiones & horas anni, & obtinentem conſtitutionem &c.*

Non miretur ergo aliquis quod Avicenna non dixit doſes medicinarum nec hic nec alibi: maxime cum etiam Galenus lib. 3. ingenii cap. 3. dicat: *quod autem non poteſt pateſieri, nec in libro ſcribi, nec ab alio dici, unum quidem eſt, vera quantitas uniuſcujuſque particularis.* Subdit tamen Galenus *verum ad eas cum ſignificationibus appropinquare poſſumus &c.*

Sit ergo diſcretus medicus, & prædicta conſideret, & applicet calida calidis, & calida frigidis, & alias qualitates, modo contrarias modo ſimiles, prout requiritur in conſervando ſimilia, & in removendo contraria.

Quod autem hoc ſit verum medicum non

non posse præcisum gradum invenire in medicina, nisi veniat ad actum experientiæ, probatur per Avicennam in multis locis, & nominatim quidem quarta quarti, cap. 11. de medicinis facientibus nasci carnem in vulneribus, ubi inquit: *Et experimentum quidem est illud quod scitur quod est ex exiccantibus & stantibus aut ex nascentia carnis secundum processionem, vel continuitatem, aut ex sordidatione.* Ibidem inquit: *quando prohibetur medicina à juvamento declina ad aliam.* Ibidem *quandoque iterum est quibusdam corporibus proportionalitas cum quibusdam medicinis, absque aspectu operationis earum.* Ibidem: *scias quod sit quædam medicina faciens nasci carnem in corpore aut membro hoc & non sit faciens nasci in alio; & illud ideo: quoniam fortasse exiccat in hoc corpore & non exiccat in corpore alio propter complexionem diversam duorum corporum. Et secundum quod scivisti fortasse superfluit in corpore hoc, & non superfluit in corpore illo, neque est absterso omnino; cum hæc medicina indigeat exiccatione quadam & abstersione mensuratis secundum corpus, non autem absolutis: & res mensurata est diversa cum impressione in rebus, quæ non sunt convenientis quantitatis in passione &c.*

Idem etiam affirmat quarta quarti tracta-

tu

tu tertio capitulo ſecundo, in canone curationis ulcerum : *medicamen* inquit, *unum quidem ſecundum quædam corpora facit naſci carnem, & ſecundum quædam eorum eſt corroſivum vehementis abſterſionis, cum corpora illa ſint levia valde &c.* Et ibidem *oportet ut audias ſermonem communem qui eſt, quod de illis quæ ſunt neceſſaria eſt illud quo curatur ulcus aut conveniens eſt aut inconveniens.* Conveniens licet non conferat in diſpoſitione, tamen non aſſociat ei nocumentum. *Et inconvenientiæ diverſificatio aut eſt quoniam ipſum eſt debilius; & ſignificat illud additio ejus; quod eſt contrarium ei quod ex ipſo expectatur de exiccatione aut mundificatione, aut aliis præter corruptionem aliam: quare oportet ut addatur in virtute ejus. Aut eſt diverſitas propter modos alios, nempe quia ipſum calefacit ultra quam neceſſe ſit ei, quare facit accidere rubedinem & inflammationem: quapropter oportet ut minuatur de fortitudine ejus, & extinguatur de inflammatione ejus cum emplaſtro infrigidante &c.* Ibidem: *multoties quidem non convenit medicamen, propterea quod complexio infirmi eſt ſuperflua in calido ejus cujus medicamen oportet eſſe fortius in contrahendo illud calidum, adeo donec reducat ipſum ad complexionem ſuam: aut eſt debilis in calido ei conveniente.*

Q Idem

Idem tractatu eodem tertio, capitulo tertio de cura ulcerum inquit: *cum tu administraveris medicamen & non inveneris humiditatem minui, aut videris eam augeri, tunc scias quod medicamen secundum illud corpus non est exiccativum, quare adde in confortatione ejus & majore exiccatione, & adjuva ipsum cum absterfione pauca &c.*

In hanc etiam sententiam venit quarta quarti, tractatu primo, capitulo sexto, de regimine vulnerum habentium apostemata & dolores. *Oportet* inquit *ut observes illud ad quod convertitur dispositio apostematis sicut si tu administraveris unguentum nigrum, & videris vulneris ruborem vehementem fieri, & vesicari, declina ad infrigidantia & ad unguentum album: & si videris ipsum mollificari aut indurari, & tu jam administrasti album, administra nigrum, & alia.*

In prætactam opinionem incurrit etîam quarta quarti, tractatu quarto, capitulo secundo, in canone curationis solutionis continuitatis nervorum, dum inquit: *oportet ut observes in medicinis eorum ne calefaciant ultra quam sit necesse, neque abbrevientur in calefactione necessaria, & similiter in absterfione, & exiccatione, & in contrario utriusque. Cum ergo videris quod jam calefactum est, tunc infrigida ipsum* (scili-

cet

cet membrum) *cum menſura quæ minuat additionem ab eo quod eſt neceſſarium. Et quandoque experimur cerata facta cum euphorbio ſuper crus hominis ſani, ſimilis infirmo in complexione, & forma, & conſideramus an ſuperfluant in calefactione, an non calefaciant ipſum gradu aliquo de quo ſit curandum, an vero calefaciant ipſum calefactione temperata, & tunc ſecundum illam quantitatem poſtea adminiſtrantur ſuper infirmum, & experiuntur ſuper ipſum ſecundo.*

Ex prænarratis quilibet poteſt comprehendere qui fiat quod in uno capitulo Avicennæ ſint diverſarum complexionum & virtutum medicinæ deſcriptæ, & quare doſes non ſint poſitæ.

Hinc liquet medicum debere eſſe boni judicii: quia medicina non traditur ſcriptis niſi aliquo modo univerſali. Atque ita ſi noſtræ medicinæ ſuperius ſcriptæ & inferius ſcribendæ, ab aliquo ponantur in actu, poni debent præmiſſa menſuratione illarum efficaciæ, ſicut dicit Divus Avicenna & illas debet medicus mutare, & eis uti prout indicat earum effectus. Et ita acquiretur legitimi medici nomen.

Cap. XXX.

Iterum de legitimo topicorum usu in cranii fractura.

NUnc autem ad residuum medicinarum, prædictis dispositionibus capitis convenientium, deveniamus. Et dico quod in quacunque læsione (ut supra latius dixi) debet præponi capitis abrasio, post quam statim fiat fricatio cum mantili calido, ut pori aperiantur, deinde totum caput unguento vel emplastro vel alia medina tegatur, propter rationes antedictas; & in petia, super qua ponitur tale locale, fiant incisiones & perforationes plures, ut vapores inde melius exeant, & aëris qualitate considerata, caput pannis, & capitio, vel alio ingenio, & ligatura dolorem non causante, tegatur. Nec talia nisi remisse calida, nec actu nec potentia, ponantur in primis diebus, & prius factâ evacuatione sufficienti.

Nicolus autoritate aliena inquit: *quod si fractura sit prope commissuras, quod illa melius sanatur, quam si distet, stante notabili apertione in cute & osse: quia ratione commissurarum melius resolvitur & evaporatur ma-*

materia: ideo dicit quod ibi non requiritur tentarum appositio, sicut alibi maxime in cute sed quod in osse ponitur de cotone carminato &c. Et ego semper laudo tentas leves inter labia quia est tutior via.

Modus autem compositionis reliquarum medicinarum, læsionibus prædictis conferentium, est iste, primo est emplastrum relatum ab Andromacho, quod extrahit spinas, ossa, tela, & hujusmodi vulnera sigillat.

Recipe granorum quæ inveniuntur in fructu palmæ, quæ dicuntur armeli sive aumeli, & baurach rubei, salis armoniaci, aristolochiæ creticæ, rad. cucumeris asinini, terebintinæ, ana aureos 20. piperis, armoniaci, amomi, xylobalsami, thimi, mastichis, myrrhæ, resinæ siccæ, visci quercini, lactis arboris mori ana aureos 10: ceræ aur. 30: sevi caprini. aur. 15. fecis olei quantum sufficit. Fiat emplastrum, & fiant magdaleones, qui malaxentur manibus inunctis oleo liliaceo, & serventur & usui administrentur.

Aliud unguentum Magistri Anselmi de Janua, quod consolidat ossa fracta, & sanguinem sive saniem trahit de sub osse. Recipe terebinthinæ ℥vj, ceræ ℥iij. simul liquefacta in aceto ponantur, & malaxentur per diem, post separa ab aceto & pone in

lacte mulieris, vel vaccæ, vel asinæ (quantitas lactis sit lib. sem.) bulliant simul lento igne per mediam horam post adde succi bethonicæ ℥iij. pulveris herbæ de tunisi (i. e. cujusdam herbæ sic nominatæ Pisis, & est herba cujus radices assimilanter radici herbæ valde bonæ, nisi quia medi-tullium harum est coloris crocei & sunt aromaticæ, at valde bonæ non) Quod si non habeatur hæc herba non refert. Lento autem igne, vel in sole, fiat unguentum, & administretur ut supra.

Aliud quòd est expertum. Recipe gummi elemni ʒij: resinæ ʒiiij: ceræ ʒvj: olei rosarum ʒiv. armoniaci ʒij: terebinth. ʒiij: succi betonicæ ʒv: Fiat unguentum.

Aliud. Recipe terebinthinæ ʒiij: ceræ albæ ʒij: aceti, olei rosati, ana ʒiß: lactis mulieris ʒijß: succi betonicæ ʒv. Fiat unguentum.

Aliud quòd expertum est, & ut dicunt aliqui consolidat omnia vulnera, & inprimis vulnus cranii fracti. Recipe resinæ pini, ceræ ana ℥j: terebinthinæ ℥iij: betonicæ pulverizatæ, centaureæ, ana ℥ij; bulliant omnia in sufficienti quantitate vini ad notabile tempus, post cola, & adde lactis mulieris, succi betonicæ ana ℥iij: aceti ℥ij. Fiat unguentum.

Aliud Recipe ceræ, terebinthinæ ana

℥ijß:

℥ijß: centaureæ majoris, matrisilv. ana ℥ijß. bulliant simul in vino, post cola, & adde olei benedicti ℥iv: & fac unguentum.

Aliud. Recipe resinæ lib. 1. terebinthinæ ℔ß. ceræ ℔ß: mastichis ℥iv. betonicæ, pimpinellæ, mellum granæ berbenæ, vermicularis ana manip. iv. bulliant omnia in sufficienti quantitate vini: cola, & adde lactis mulieris ℔ß. Fac unguentum.

Aliud. Recipe gummi helleni ʒij. opoponacis, bdellii ana ʒß. resinæ ʒj. ceræ q. s. & utere.

Aliud, quòd dicitur Emplastrum bovinum, quo communitur utebantur chirurgi Florentini, & à Petro de Argelata appellatur Unguentum de matrisilva. Recipe terebinthinæ, ceræ, ana ℥iv. olei rosati ℥ij. matrisilvæ pulverizatæ ℥iv. bulliant omnia in bono vino secundum artem, & fiat unguentum.

Aliud quod est expertum. Recipe succi primi floris, succi betonicæ, succi gariofilatæ, succi matrisilvæ, succi pimpinellæ, ana ʒij. terebinthinæ ʒiv. bdellii ʒß. ceræ ʒij. boni vini ℥j. lactis mulieris ℥ß. bulliant omnia lento igne usque ad consumptionem succorum, deinde adde aristoloch. rot. betonicæ ana ʒij. & fiat massa.

Et hæc emplastra seu unguenta, hîc parum supra scripta, sunt à Dino & à Ni-

colo notata, & ab ipſis laudata. Multorum vero aliorum autorum ponam alia localia; ſed illa localia quibus majorem fidem ego adhibeo in hoc toto opere repeniuntur ſcripta ſic: *expertum eſt*: quia illa prius expertus ſum.

Emplaſtrum de centaurea ſecundum Argelatam in capitulo de fractura cranii (ſed eſt Guidonis) & *eſt expertum*. Recipe centaureæ majoris manip. vj: infundatur per noctem in vino: deinde bulliant uſque ad conſumtionem medi. vini: poſt colentur & bulliant uſque ad ſpiſſitudinem mellis. De qua capias ℥j. ceræ ʒij. lactis mulieris ℥ij. terebinthinæ lib. 1. ceræ ℥iij. reſinæ ℥ß. thuris maſtichis, gummi arab. an ʒiij. & fiat emplaſtrum.

Aliud; eſt autem Emplaſtrum de betonica ejuſdem ibidem, ſed eſt Henrici & *eſt expertum*. Recipe ſucci betonicæ, ſucci plantaginis, ſucci apii, colatorum ana lib. 1. reſinæ, ceræ novæ, ana ℥iij. terebinthinæ lib. 1. Fiat emplaſtrum ſecundum artem. Hoc eſt per *me expertum*.

Aliud. Unguentum gratia dei dictum, quod *eſt expertum*, & ſecundum Leonardum Bertapaliam etiam eſt expertum, & deſcriptum in medicinis carnem generantibus: & valet in vulneribus capitis cum requiritur illud. Recipe ceræ albæ, reſinæ pi-

pini, armoniaci ana ℥vj. terebinthinæ ℥iij. galbani, olibani, maſtichis, mirrhæ ana ʒiv. rot. Ariſtol. ʒij. cum vino decoctionis verbenæ, betonicæ, & conſolidæ majoris & minoris, centaureæ, pimpinellæ, hypericonis, herbæ gratia dei, & bautiæ ana m. 1. Fiat unguentum, & malaxetur cum lacte mulieris. (Quid autem ſit herba gratia dei vide apud Luminare majus) Valet in fracturâ cranii, ad conſolidationem maxime.

Convenit etiam ſimilibus diſpoſitionibus Emplaſtrum Apoſtolicum chirurgicum appellatum, cujus deſcriptionem vide à Rolando in capitulo de cranii fractura.

Aliud emplaſtrum, quod eſt poſitum à Conciliatore pro cranii fractura differentia 181. ubi dicitur quod ſanat abſque amotione oſſis, applicando tertia vel quarta die tranſacta. Fit iſto modo. *Vinum ſuſcipitur Doricum ſive Malvaticum, & ſtuppæ in eo infunduntur, deinde exprimuntur, deinde habentur pulveres plantaginis & ſiliginis, non vehementer trita: primo quidem plantaginis pulveres ſuper ſtuppâ paululum aſperguntur, deinde ſiliginis; ſed in majori quantitate de plantagine. Quidam aliquam partem fabarum nigrarum, & grana toſta, contrita modo prædicto, ſuper hoc pulvillo addunt, & loco læſo applicant: multoſque pulvillos, in eo-*

dem vino imbibitos & expressos, supra ponunt, & dimittunt per tres aut quatuor dies, maximè in hyeme. Demum, ut magis trahant extrorsum, ponunt emplastrum ex fermento; ipsius enim est materias ex profundo corporis evellere. Deinceps aliquo modo communiori consolidant. Hunc modum dicit Conciliator se vidisse valere, seque expertum esse.

Inquit etiam. *Est autem alius modus artificialior, utilior, & communior jam factus Saracenis, ut post sanguinis hæmorrhagiam tale super applicetur unguentum, quod expertum est. Recipe gummi belleni* ℥iij: *resinæ puræ* ℥iv: *ceræ* ℥vj. *olei ros.* ℥iij: *armoniaci* ℥ij: *terebinthinæ* ℥iij: *&* ℥ß. *Fiat unguentum.* Et istud est Unguentum gummi elemni Conciliatoris, quo ego etiam usus sum, & laudo.

Est aliud unguentum ibidem, huic satis affine, multum laudatum à Bertapalea in capitulo de fractura cranii, sed ille non ponit opoponacem, nec bdellium: *est autem expertum.* Recipe gummi belleni ℥iij: opopanacis ℥ij: bdellii ℥ß: resinæ pini ℥j: ceræ albæ. q. s. Fiat unguentum.

Aliud emplastrum per me *expertum* in contusionibus capitis, si sint sine cranii fractura. Recipe farinæ hordei, calamintæ, origani ana manip. i. camomillæ, asari,

ma-

majoranæ, folii, stæchados Arab. foliorum lauri, absinthii, ana m. 1. & ß: (si fiat sine folio non refert) cum aqua, & oleo camomillæ, fiat emplastrum. Et est mirabile, factis universalibus; & non repercutit sed resolvit, & confortat.

Aliud emplastrum Betrapaliæ ponendum supra alias medicinas ad confortandum: & *expertum est*. Recipe calamintæ, meliloti, camomillæ, stæchados, florum lauri, asari, betonicæ, matrisilvæ ana manip. i. majoranæ, serpilli ana m. ß: farinæ hordei ℥iij: croci ℈ij. cum aquâ & oleo rosato, & camomilla, fiat emplastrum. Hoc ego laudo, quia est singulare ubi non dubitatur de caliditate.

Alios pulveres & liquores, & alia unguenta ut & meum cerotum capitale humanum appellatum, referam ubi de opere manus fiet mentio.

Nota quod Nicolus inquit: *quidam dicunt rem mirabilem expertamque; quoniam aliquando contingit cranium percussum ad interius comprimi & plicari & substantiam cerebri lædi, unde patiens loquelam amittit: tunc violas contere, & cum vino patienti da bibere: deinde considera, si dextra pars cranii læsa sit, violas sic contritas liga sub planta pedis sinistri: Et si pars cranii sinistra læsa sit ponas sub planta dextra; statim enim miracu-*

raculose os resiliet & loquela redibit &c. Hoc à me non creditur.

Repertus est etiam quidam alius modus primo à certis Hispanis nautis (ut retulit mihi fide dignus quidam) deinde à certis Januensibus in Italia, quem post multi sunt secuti & est cum aquis & pulveribus infra describendis. Illis indifferenter in omni ætate, læsione, complexione, & tempore, & ut breviter dicam nullâ consideratâ differentia utuntur, semperque pinguem diætam cibi, & vini potum exhibent. Hic modus localium non totaliter in aliquibus casibus est vituperandus, convenit certe iste modus in vulneribus simplicibus ubi cita requiritur exiccatio & consolidatio: convenit etiam in læsionibus capitis, si applicetur in capillari rima, ut exiccet humiditatem in ea contentam, etiam si illa penetret usque ad siphac. Complexio enim ossis & duræ pelliculæ talem potest pati medicinam, quia siccissima est, ut inquit Galenus. Sed non debent tales aquæ administrari in principio, nec in tempore calido, nec in complexione calida. Ideoque possunt hæc remedia administrari, utendo tamen rationabiliter diæta, & & potione, & manuali operatione, prout supra dictum infra & dicendum est. Sed quia talia remedia carent legitimo inventore, &

acto-

actore, à me totaliter reprobantur: nec eis aliquo pacto auderem uti.

Isti autem qui sic operantur isto remedio nautico capiunt hanc aquam. Rec. aquæ vitæ ℔ij: mirrhæ ℥j: aloes ℥ij: croci ℈ij: sar. cocollæ, thuris ana ʒiij. (aliqui addunt granorum hypericonis ℥iv:) infundatur omnia simul, & dimittantur per sex dies sic infusæ, deinde fortiter exprimantur: & ea aqua usurpetur ut infra dicam. Sunt qui prædictam infusionem noviter sublimant sive distillant per alembicum, & eâ utuntur. Sunt tamen alii, qui fingunt prædictam aquam multa alia simplicia ingredi, & in modum elixirii eam distillant, sed decipiunt in hoc vulgares, & hoc faciunt ut suæ medicinæ habeantur in cariori pretio. Elixir autem illius talis est descriptio. Recipe gariophyllorum, calami aromatici, been albi & rubri, aloes, thuris, mirrhæ, cinnamomi, galangæ, nucis, muscatæ, macis, ligni aloes, rosarum rubrarum & albarum, anthos, betonicæ camomillæ, matrisilvæ, sandalorum alborum & citrinorum, cardamoni, spicæ, cubebæ, nardi, mastichis, margaritarum fragmentorum, omnium corallorum rub. cardui benedicti, diptamni albi, Zedoariæ, tormentillæ, bistortæ, gentianæ ana ℥iß: ficus pingues 6. musci,

ambræ,

ambræ, anna ℈ß: dactylos numero 9: passularum ℥vi: mellis ℥iii: zuccari albi ℥vi: aquæ vitæ, lib. 4. distillentur: primò exit aqua clara, secundò lactea, tertio turbida, capitur secunda: in qua ponuntur mastichis, thuris ana ʒvj: gummi elemni ℥iij: galbani ℥ß: cinnamomi, ligni aloes, cubebæ, nucis muscatæ, galangæ, ana ℥i: therebinthinæ ℔ß: aquæ vitæ lib. 4. distillentur; prima & secunda aqua erit clara, tertia subrubea, & ista est ad vulnera, ut illi dicunt, quam ego detestor & abhorreo.

Usus prædictarum aquarum est iste. Ponunt in vulnere de tali aqua, quantum retinere potest vulnus, deinde implent prædictum vulnus isto pulvere. Recipe aloes epatici ℥ii: mirrhæ ʒvi: sarcocollæ, thuris, mastichis ana ʒii: misce, & fiat pulvis, & utere ut supra. Et sic circa finem usque curant: postea aliquo unguento consolidativo sigillant.

Hæc est alia aqua. Recipe aquæ vitæ lib. 10: malvatici lib. 4. granorum hypericonis matur, lib. 2: thuris ℔ß: infundantur per mensem: postea cola, & utere ut supra.

Alia aqua. Recipe aquæ vitæ lib. 10: malvatici lib. 6. aloës ℥iv: mirrhæ ℥iij: thuris, mastichis ana ℥vi: radicum consolidæ majoris l. 2: centaureæ lib. sem. granorum

norum hypericonis lib. 2: terebinthinæ lib. 2: misce per mensem, & cola, & utere.

Sequitur alia aqua. Recipe aquæ vitæ lib. 6: malvatici l. 2: granorum hypericonis, centaureæ ana lib. 2: thuris, aloes, mirrhæ, mastichis ana ℥ij: misce, distilla, & utere ut supra.

Hic est modus istorum hominum, quem pro majori parte damno; contra laudo istum liquorem infra scriptum, quo & audacter utor, quemque *expertus* sum, transacto tempore apostematis. Recipe vini malvatici lib. 1. aloes, mirrhæ, olibani, sanguinis draconis, ana ℥ß misce, & infundatur per octo dies, deinde prius simul conquassatis omnibus utere secundum artem, ponendo duas vel tres guttas mellis rosati prius in fundo vulneris.

Alio etiam quasi simili utor, cujus descriptio hæc est. Recipe vini malvatici lib. 1. ireos, farinæ orobi, thuris minuti, aristolochiæ rot. corticum radicis opoponacis, mirrhæ, sarcocollæ, sanguin. draconis, centaureæ, ana ʒi: infundantur, ut supra dictum est de alio, & eodem modo utere. Istum modum laudo: quia vinum conceditur in vulneribus & aliis læsionibus prædictis capitis, & ita etiam conceduntur prædicti pulveres ab Haly, Galeno, Avicenna & aliis in fractura cranii

maxi-

maximè cum administrantur in hora sua; ut prædixi.

Cap. XXXI.

De ratione curandi per potiones quas vocant vulnerarias.

HÆc omnia sufficere volo quantum ad medicinas extrinsecus applicandas: ad modum autem primæ sectæ quæ cum potionibus operantur devenio. Dico autem idem quòd dicit Nicolus autoritate Theodorici, quòd audacius isti curant cum potionibus infra dicendis, si vocentur antequam alia via & alter medicandi modus tentatus sit, maximè in vulneribus sive contusionibus recentibus: in ulceribus tamen non curant si aliud actum sit. Sentio tamen cum Guidone tales potiones non multum convenire in primis diebus,

Aliquas alias differentias ponit Nicolus, ad quas lectorem remitto: neque enim diu rei huic inherebo, quia ut supra dixi; paucam adhibeo fidem istis potionibus.

Dico autem ego quòd ultra potionem si sint & in vulnere & in ulcere, aliqua extranea, illa sunt removenda (puta ossa, tela, spinæ & hujusmodi) Labia etiam so-

lutæ

lutæ continuitatis debent juxta posse teneri aperta cum tenta aliqua, maximè cum stipite caulium facta, quia convenit cum virtute potionis. Imo si indigeant talia vulnera suturâ suantur & ligaturâ convenienti uniantur, & exprimantur, prout requiritur in cura: sive ligatura debeat fieri retentiva, sivè incarnativa, prout sciunt operantes artis.

Potio autem à me visa *& experta* in dispositionibus à me supra narratis, est hæc quæ sequitur. Recipe foliorum & radicum rubeæ tinctorum, radicum aristolochiæ longæ & rot. foliorum & rad. plantaginis foliorum & radicum consolidæ majoris & minoris, foliorum & radicum gariophylli foliorum, & rad. centaureæ majoris, ana manip. 2. radicum altheæ, summitatum rubi, summitatum lapati acuti, tanaceti, millefolii, pimpinellæ, pilosellæ, arthemisiæ, summitatum cannabis, caulis rubei, fragariæ, anna manip. 1. thuris albi ʒii. sarcocollæ ℥i. vini albi bocalia. 15. ponantur omnia in vase terreo vitreato, cujus pars media remaneat vacua & tegatur ut non respiret, & bulliat per tres horas mediocri igne, & coletur: cui adde mellis lib. 6. & deinde bulliat usque ad quartæ partis consumtionem. Dosis est ℥iv. singulo mane, & totidem, vespere, bal-

neando vulnus cum eadem, fupraponendo folium caulis.

Aliqui diftillant, & dant tantum mane ℥iii. ego nunquam diftillavi, fed primo modo factam dedi, & vidi quæ fupra dixi.

Quidam Hebræus fatis mihi amicus, & inter empiricos fide dignus dedit mihi infrafcriptam potionem, qua utebatur ficut ufurpatur præfcripta. Recipe radicum rubiæ tinctorum, feminum cannabis, diptamni albi, betonicæ, feminum apii, fummitatum rubi, radicum peoniæ, foliorum pilofellæ, foliorum pimpinellæ, foliorum matrifilvæ, foliorum matricariæ, radicum ciperi & acori, foliorum & radicum gariophyllatæ, radicum liquiritiæ, rad. gentianæ, foliorum & radicum fragariæ, foliorum capillorum Veneris, foliorum caudæ equinæ, foliorum agrimoniæ. foliorum centaureæ, foliorum caulis rub. foliorum & rad. confol. majoris, rad. ariftolochiæ, longæ & rotundæ ana ℥i. rabarbari ʒiv. fquinanti ʒiii. melis lib. 6. vini albi lib. 80. fiat potio ut fupra.

Sunt etiam quædam aliæ potiones ab aliis defcriptæ quæ parum laudantur à rationalibus medicis. Et inter alios Guido de Cauliaco, in capitulo de fractura cra-

nii,

nii, totis viribus damnat hunc modum potionum istis verbis: *Non audiantur ergo verba illorum Theodoricorum, & Ianuensinm, qui se jactant omnem fracturam capitis cum suis pigmentis & potionibus absque chirurgia & ossis elevatione curare &c.*

Inquit Theodoricus lib 2. chirurg. cap. 3. de cura fracturæ cranii: *sicut enim in cute superius dictum est, talis fiat in capite ligatura ut calor intrinsecus evaporare non valeat, nec exterior possit aer intrare &c.* Hoc facto detur pulvis quem dominus Hugo sibi appropriabat cum pigmento, quòd ita fit. Recipe cinnamomi ℥j. zinziberis albi ℥ßiv. melleghetæ ʒj. galang, piperis longi ana ʒj. gariophyllor. numero 12. grana piperis numero 15. fiat pulvis. Vini albi lib. 5, mellis lib. 1. bulliat mel & vinum Paulo post de prædicto pulvere addatur tantum ut bene aromatizetur totum vinum: & iterum bulliant omnia simul, ut fiat pigmentum; post clarificetur colando, de quo capiantur novem ciathi parvi, cui misce pulverem magistri Hugonis, qui est videlicet. Recipe pilosellæ, pimpinellæ gariofilatæ, gentianæ, valerianæ, de omnibus folia & radices, de gentiana radices tantum, ana (exceptâ pilosella, de qua capiatur, quantum de omnibus) ex eis fiat pulvis de quo ter, quantum potest tribus digitis capi,

in prædicto pigmento ponatur; pro quolibet ciatho & crucis signo facto, in nomine P. & F. & Sp. S. & individuæ trinitatis, dicatur: *dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltavit me, non moriar sed vivam, & narrabo opera domini.* Prædicta sic fiant, prius facta devota oratione ad Dominum, ut per prædictum pulverem liberet infirmum. Modus autem exhibitionis prædicti pigmenti est iste. In prima visitatione cum infirmus comedere ceperit, cum potum appetit inter comedendum dabis unum cyathum prædicti pigmenti, modo prædicto, scilicet cum signo crucis &c. in meridie inter cænam & prandium dabis alium cyathum: in cæna alium: & si infirmus retineat prædictum pigmentum sine vomitu non solvatur caput, si vero evomat solvatur. Et si tumor adsit vulneri fiant pultes tales. Recipe folia malvarum cocta in vino, cum furfure fac emplastrum & super pone cum stuppa, semel mutando singulo die &c. Idem Theodoricus docet, quod si fiat vomitus esse pessimum signum; recitat etiam alias nugas quibus fidem non adhibeo.

Decoctio stæchados sola multum laudatur: Libro etiam 15. Continentis mumia in potu data summè laudatur in fracturis. Aliam potionem ponit Nicolus, & dicit

eam

eam valere ad omnia vulnera, & ſanare novem diebus, non mortalia tamen: abſtergere quoque & oſſa expellere. Recipe caulis rubei, fœniculi, petroſelini, abrotani, tanaceti, fragariæ, foliorum rubi, herbæ Roberti, plantaginis, arnogloſſæ, foliorum cannabis, apii, nucis muſcatæ ana; in vino bulliant cum melle. Bibatur manè & veſpere, & balneetur vulnus extra cum eadem, & ſuper ponatur folium caulis rubei: & iſto modo procedatur.

Reperiuntur multæ aliæ potiones ab aliis etiam antiquis deſcriptæ ad vulnera ſananda, quos ne tædio afficiam legentes hoc loco non recitabo.

CAP. XXXII.

De curatione læſionis panniculorum, cerebri per medicamenta.

SEd quia de læſione duræ & piæ matris; & ſubſtantiæ etiam medullaris cerebri, non reperitur aliquis curandi modus ab ullo autore deſcriptus, ut hoc noſtrum opus magis pingue ac delectabile & utile ſit, de vulneribus prædictorum membrorum aliquid nobis erit dicendum: & maximè cum interdum (ut prædiximus) ad manus

noſtras talia vulnera devenerint, quæ duce divino auxilio ad laudabilem finem terminatæ ſunt.

Dico ergo, quod ſi contingat vulnus eſſe in prædictis membris, ultra omnem aliam curam medicus totis ſuis viribus debet prohibere omnem motum fortem & animi & corporis ipſius patientis; nec debet fieri agitatio aliqua à medico, nec manibus, nec ferramento aliquo, niſi leviſſima in abſtergendo, & lavando, & medicando, ut dicetur.

Neque ſanies in labiis retenta debet abſtergi opere manus: ſed tantum aliqua lotione earum quæ infra deſcribentur, quia ex tactu & agitatione violenta in tam nobili & molli membro, quale eſt cerebrum & pia mater, fit dolor, & fortè nova ſolutio, unde fit exitus magnus medullæ atque ita tandem mors: Sed ſi non tangatur niſi modo antedicto natura ſuccurrit loco, & conſolidat vulnus. Atque iſto modo tactus prædictus ita levis ad manus ſit, uſque tranſactus ſit dies decimus quartus. Deinde audacius poteſt medicus tractare prædicta vulnera; ſemper tamen hoc fiat leviter.

Et principio quidem conſtricto ſanguine cum ovo & aliis rebus convenientibus, ponatur in fundo vulneris lac mulieribus

ab

ab ubere noviter mulctum, & cum lavatur vulnus bis vel ter in omni medicatione, lac etiam sit actu calidum vel lavetur tale vulnus vino malvatico, in quo bullierunt rosæ rubeæ.

Deinde repleatur prædictum vulnus lychniis, uno vel pluribus secundum magnitudinem vulneris, ante intinctis in prædicto lacte, quæ tantum repleant fundum; cæterea vero lychnia, quæ sint tanta ut repleant totum vulnus, sint imbibita in oleo rosato omphacino: & postea supra vulnus ponantur duæ vel tres petiæ, linteæ, magnitudine unius palmæ, imbibitæ in prædicto oleo: deinde totum caput etiam ungatur prædicto oleo: denique pannis debitis & stuppâ & fascia convenienti levissime ligetur.

Iste modus curæ fiat per quatuor dies, usque ad sex & non ultra: deinde capiatur aliquod unguentum capitale de prædictis & ponatur super lychnia vel super syndone, & talia lychnia cum unguento imbibantur in oleo rosato omphacino & melle rosato, partibus æqualibus, & sic repleatur vulnus: fiat prædicto unguento alia petia magna & ponatur supra vulnus, ante tamen caput totum prædicto oleo rosato inungatur.

Et unguentum quidem quòd à me est

usitatum in istis casibus & probatum, appellatur unguentum matrisilvæ, quod infra describam cum meo ceroto humano & aliquibus aliis remediis suo loco; hoc unguentum lavo lacte mulieris ter vel quater, illoque sic loto utor, ad minus transacta nonâ vel decimâ die. Post illos dies utor prædicto unguento non loto (quia tunc requiritur medicina magis calida) & sic pergo. Paulatim tamen amoveo aliquid olei rosati, & addo tantum mellis ut circa decimum quartum diem utar solo melle rosato; & sic deinde cum lotionibus & pulveribus & meo ceroto vulnus illud carne repleo. Lavando tamen, si opus est, vel cum spongia embrochando, vel cum syringa leviter impellendo ad fundum vulneris vel ulceris fit ut exiccetur sanies, quæ interdum est tanta ut medici dubitent de ipsius exiccatione. Sed pro hac quidem exiccatione habeatur recursus ad curam ulcerum profundorum, quæ cavernæ & absconsiones appellantur ab Avicenna quarta quarti: quibus tandem carne repletis adhibeatur consolidatio.

Sed quia rarò reperitur oleum rosatum omphacinum bonum, capio ego oleum myrthinum & oleum rosatum partibus æqualibus, & illis utor: & mihi benè succedit.

Cap.

CAP. XXXIII.

De curatione contusionis à sclopeto factæ per medicamenta.

NOtent etiam juvenes quòd interdum contunditur caput aliquâ glande sive pila alicujus sclopeti, vel alterius similis instrumenti, cui contusioni ratione sulphuris; & nitri & ignis inducitur mala complexio calida in loco, & interdum escara: Talis læsio quantum opus manuale attinet curatur ut aliæ contusiones.

Medicinæ autem locales debent esse tales ut conveniant & contusioni & ignis combustioni. Ego inter alias medicinas sæpe utor oleo rosato solo, quod optimè confert, transeundo ad exiccantia cum opus est. Inter alias medicinas vidi etiam istam valere. Recipe olei rosati ℥iij: olei vitellorum ovorum ℥ij: vitri albissimi subtilissimè pulverizati ℥ij: ceræ albæ ℥iß: corticis medianæ, virgultorum sambuci manip. 1. bulliant omnia secundum artem & colentur. Habebis unguentum cui non reperitur par à principio usque ad vulneris à carne repletionem. Deinde consolidentur vulnera ut alia. Prædictum unguentum

est mirabile in omni combustione ignis.

Sed in contusionibus istis prædicto unguento solum est utendum, usque quò mala qualitas calida sit remota, deinde curantur ut alia vulnera. Multa alia remedia possem adducere, sed volo medicos recurrere ad capitula combustionis ignis & suo judicio componere curam læsionibus appropriatam, quæ facilis est legitimo medico.

Cap. XXXIV.

Cur fortioribus medicamentis opus sit in interioribus capitis vulneribus: quæve sint fortiora medicamenta appellanda. Digressio.

Restat solvendum dubium à nobis supra positum de mente Galeni quarto ingenii capitulo 7. & de mente Avicennæ prima tertii tractatu tertio capitulo undecimo scilicet cur fortiores medicinæ requirantur in vulneribus & apostematibus interioribus capitis quàm exterioribus.

Cujus quidem dubii solutio hæc est: scilicet, si medicina debet ad intra penetrare debet esse fortis, ne resolvatur ejus

virtus

virtùs in via, & maximè in apoſtemate ſine vulnere, ubi eſt cutis denſa, & pericranium & cranium & alii panniculi denſi.

Sed & ubi eſt vulnus requiritur fortis medicina: quia illa membra ſunt ſolida & dura exceptâ cerebri medullâ, & longe ſicciora membris exterioribus. In vulneribus etiam exterioribus minor ſaniei quantitas aggregatur quàm in interioribus propter magnitudinem & profunditatem: ideoque ut ſerventur membra in ſua complexione, & ut exiccetur major ſaniei quantitas requiritur fortior & potentior medicina.

Medicina autem altero duorum modorum dicitur debilis & fortis: primo quia eſt raræ ſubſtantiæ, propter quam facilè reſolvitur ejus virtus. Sicut ſe res habet in roſa, & camomillâ, & ſimilibus. Secundo vero modo ratione qualitatum ejus dicitur medicina fortis & debilis. Medicinæ enim primi gradus vel temperatæ, dicuntur leves: aliorum vero graduum medicinæ dicuntur fortes, ſive ſint ex mineralibus, ſive ex plantis, ſive ex animalibus, magis tamen vel minus ſecundum eorum ſubſtantiam. Et hoc intelligit Galenus lib. 6. ingenii cap. 6. in fine, dum dicit: *eſt mirum ſi dura pellicula ablatis*

oſſi-

ossibus forte non effugiat medicamen (id est, valde siccum) *si non habeat magnum apostema, quoniam ejus substantia siccissima est.*

Sunt tamen multæ medicinæ à nobis superius positæ in cura vulnerum exteriorum, quæ sunt convenientes læsionibus interioribus, ponderatâ qualitate vulneris & diversitate conplexionum capitis, quas considerationes relinquo considerationi periti & experti medici.

Notent tamen medici quod vulneribus intrinsecis in substantia medullari cerebri in quantum sunt vulnera non convenit medicina valdè fortis in exiccando ratione suæ complexionis, sicut convenit panniculis solis læsis: ideoque ad hoc toto suo ingenio advertant medici; qui quidem si sint legitimi, duce experientia prius, ut de mente Avicennæ sæpe dictum est, invenient præcisum gradum medicinæ administrandæ.

Et sic cum Dei adjutorio dicta sunt quæ spectant ad secundum instrumentum medicinæ, cui idcirco finem impono,

CAP. XXXV.

In fracturæ cranii curationes chirurgicas præloquium.

ARduum ac maximum omnium, ac ferè horrendum quod est in medicina, opus scilicet manuale, ultimum medicinæ instrumentum appellatum aggredimur; in quo, duce omnium rerum parente, non pauca utilia hujus artis successoribus, juxta virium nostrarum nostræque experientiæ quantitatem condonabimus, ponendo solum curam solutæ continuitatis capitis cum cranii fracturâ, & modum in quacunque specie observandum monstrando.

Veni igitur sancte Spiritus, & illumina non minus nostram mentem quam audientium, ad bene & lucide dicendum, & intelligendum, ea quæ à nobis hîc de ossis amotione, incisione, & elevatione, ubi necesse erit, dicentur. Nullum certè majus est periculum in aliis medicinæ instrumentis, quam in isto, maxime si indebite administretur. Si autem operari ut requiritur (scilicet debito ordine, modo, & tempore) contingat, ad tartara jam destinati revocantur ad superos. Et hic loci non inveniun-

veniuntur Januenſium nugæ, ſimulque nec aliorum à via Hippocratica deviantium jactantiæ.

Cap. XXXVI.

Quo tempore oſſis ſeparatio inſtituenda ſit.

Sed antèquam ad aliquam operationem particularem deveniamus, videndum eſt prius, quo tempore fieri debeat talis in cranio operatio. Nam earum alia ſubito vel quam breviſſime fieri debet, nullis interpoſitis temporis induciis: alia vero tardius, prout cogunt accidentium ſigna.

Et de tempore quidem eligendo qui os debet amoveri, ab antiquis autoribus ad plenum dictum eſſe reperimus, ut infra monſtrabimus; ſunt tamen aliqui, dicentes quòd abſolutè non poteſt ſcire medicus hoc tempus. Sed oppoſitum tenent Galenus, Paulus Oribaſius, Haly, & aliqui alii. Ego etiam ſum hujus opinionis, quòd præciſe cognoſci poſſit tempus tale, maximè ſi diſtinguatur ſpecies ſolutæ continuitatis cum ſuis differentiis.

Sit illa ſpecies, quæ empiaſma & antiaca appellatur, vel alia ſpecies marufis dicta

tà ſive moneſis ſive heſſena: (quæ ſunt ſpecies in quibus os pungit vel gravat ſiphac capitis, & cognoſcuntur ex ſignis ſupra poſitis) amovenda oſſa abſolutè dicimus, in prima hora, vel parum poſt.

Sit alia ſpecies, rhagamia darcam ſive capillaris dicta, intus penetrans, in corpore cacochymo ægroque exiſtente & debito regimini medicinæ inobediente: quamvis adhuc nullum ſævum appareat accidens, abſolute tamen os amovendum dicimus, & quanto citius tanto melius. Sit autem eadem ſpecies, corpore vero mundo & forti, & medico obediente: dicimus etiam abſolute ſciri poſſe tempus tale, ſcilicet expectanda ſunt accidentia, quæ ut plurimum veniunt in hieme ante 14. diem vel circiter. æſtate vero ante ſeptimam.

Conſtat ergo ex prædictis, tempus abſolute præcognoſci poſſe in oſſis amotione. Aliæ autem ſpecies eodem modo cognoſci poſſunt quo prædictæ.

Totis igitur ſuis viribus inſudet medicus differentias prædictarum ſpecierum velle cognoſcere, & ita abſolute ſciet an oſſis ſit facienda inciſio, & qualiter, & quando.

Inter alia autem neceſſitatem oſſis amovendi cauſantia, duo ſunt principalia, naturæ

turæ horrida & extranea, primò ſunt gravantia & pungentia, ſive alia aliqua extranea idem facientia, puta, tela, ligna, ſagittæ, & plumbi ſive ferri vel alterius rei extrinſecæ fruſtula. Secundò eſt ſanies non habens liberum exitum. De his igitur duobus principaliter ſit ſermo. Ab iis enim tota fere eſt ſumenda cura, quia per chirurgicum inſtrumentum magis ſuccurrere iis poſſumus. Antequam autem id fiat probabimus optimis autoritatibus tempus amotionis oſſis abſolute cognoſci poſſe.

Et primo dico autoritate Oribaſii, quæ habetur lib. 15. Continentis, cap. 3. in fine abſolutè præcognoſci poſſe tempus amotionis oſſis in quacunque diſpoſitione, qui inquit, *Debent ſanari oſſa in hora qua accidit fractura, quotiens pungunt, ex concordia chirurgorum: quæ niſi pungant, expectetur per tres dies, ſecundum quoſdam, aut plus minuſve, ut colligatur ſanies, & removeatur cranium à matre dura. Et aliqui vident quod debet fieri expectatio in quo nulla erit punctio, ſub dubio nocumenti æruginis manantis & nocentis cerebro &c.*

Certe ex hiſce verbis Oribaſii poteſt colligi abſolutè tempus amotionis oſſis in qualibet diſpoſitione. Vult enim Oribaſius, (& non ſolum Oribaſius ſed & alii) quòd oſſa pungentia ſint ſubitò extrahenda, ſi

non

non ſecundùm totum, ut tamen dicit Galenus, ſaltem ſecundum partem magis pungentem, Punctura enim eſt quæ facit accelerare hoc opus. Et ſi non poteſt fieri in prima hora ſaltem fiat in prima die.

Dixit hoc etiam Galenus ut apparet lib. 15. Continentis iſtis verbis: *In quo accidit punctio & infeſtatio, incidatur os in prima hora paſſionis, aut in ipſo die; quod ſi non incidatur in toto, evellatur aliqua pars ipſius valde pungens.*

Conſentit etiam Avicenna cum prædictis in capitulo de fracturâ cranii inquiens. *Cum vero verificatur neceſſitas extendendi aliquid, & incidendi illud, aut extrahendi ipſum: tunc feſtinetur, & non expectetur complementum generationis puris in loco. Et hoc quidem niſi ubi non eſt panniculus nominatus dura mater coartatus aut punctus; quoniam punctura facit in diſpoſitione apoſtema & ſpaſmum, & fortaſſe perducit ad apoplexiam. Quare oportet ut extrahatur illud os ſtatim, & redibit ſtatim ſenſus ſi fuerit apoplexia.*

Vides lector à quibus autoribus habeas quod oſſa pungentia ſint ſtatim extrahenda: vidiſti etiam cauſſam propter quam extrahenda ſint, & hic & alibi; veruntamen ſi nulla ſint oſſa pungentia, non eſt ita feſtinandum: quod non tantum debet

intelligi de osse pungente, sed & de quacunque alia re extraneâ.

Sunt tamen aliqui casus in quibus non debemus transire secundum vel tertium diem; puta si adsit manifesta perforatio, vel incisio talis & in tali corpore, ut necessario sanies aggregatur in profundo, & in osse non sit sufficiens orificium pro mundificatione necessaria: tunc enim quam scitissimè fiat apertio in osse, ut sanies possit expurgari, & medicinæ possint intromitti.

Sed quia communiter in prædicto casu sanies incipit generari tertia vel saltem quarta die, ante generationem ipsius debet aperiri via, ne inducantur sæva accidentia. Ideo aliqui jubent fieri ossis amotionem secundâ vel tertiâ die. Unde Rasis loco citato autoritate ut credo Galeni inquit: *Id quod debet serrari de cranio capitis cum celeritate serretur, & non expectetur ut accidat de eo descendere æruginem; sicut faciebant expectantes ut compleretur putredo & separaretur dura mater vel matercula à cervice. Unde cum cautela hoc debet fieri, & ante quis certus esse quod dura mater non pungitur ab aliquo osse fracto. Sed si pungitur non potest vel debet fieri expectatio donec fiat putredo: nisi tamen fuerit aliquod prædictorum potest fieri expectatio in modo*

mo-

moderato ita ut non transeat dies tertius; sed major pars debet curari in die secundo &c.

Adverte tamen lector quòd superius dixi, me credere istam autoritatem adductam l. 15. Continentis esse Galeni. Hoc notanter dixi, quia credo Galenum fecisse capitulum aliquod quo caremus in fine sexti de ingenio sanitatis: quia re vera Galenus ibi in sexto capitulo incipit loqui de fractura cranii, & meo judicio non complevit modum curæ vulnerum capitis. Igitur credo quòd deficiat septimum capitulum ejusdem libri: maxime cum Rasis adducat autoritatem Galeni in septimo capitulo sexti libri, quamvis à Rasi non dicatur cognomen prædicti libri sexti. Et hoc maxime dico quia video Galeni posteros, Paulum & Oribasium ad plenum dicere curam de læsione capitis cum fractura cranii, & cum videam Galenum adduci à Rasi loco citato, & quia ipse inter alios fuit indagator causarum & effectuum medicinæ. Quare judicio nos non habere sextum librum Galeni de ingenio sanitatis completum.

Sunt præterea aliqui casus, in quibus possumus expectare ultra tertium diem, immo usque ad septimum in æstate, & decimumquartum in hyeme, & ultrà etiam secundum aliquos; qui casus sunt

illi in quibus non sumus certi de ærugine seu sanie aggregandâ super panniculos, quod tempus potest præcise cognosci. Indicant autem hanc cognitionem principia accidentium à sanie venientium, quia certè sanies non potest stare in tam nobili loco, qualis est locus inter cranium & duram matrem quin faciat aliqua mala accidentia, puta febrem, rigorem, intellectus permixtionem, & his similia, maximè si sit ibi clausa sine ventilatione. Ideoque cum medici vident principia talium accidentium debent accelerare ossis apertionem & ipsius amotionem ut sanies possit inde expurgari. *Si autem confirmentur accidentia, spernenda est cura*, ut inquit Haly, *quia ager ad interitum tendit.* Galenus etiam dicit: *Si accidentia supervenerint* (i. e. si perseveraverint) *spernenda est cura.*

Et quia talia accidentia, ubi os non pungit vel non gravat, & ubi dura mater non est profunde incisa, non veniunt nisi à sanie contentâ, ut supra dictum est, inter cranium & duram matrem: ideo autores dicunt determinatum tempus amotionis & incisionis ossis esse, cum dura mater est separata à cranio. Et hoc prudenter dicunt: quia si fieret operatio talis ut requiritur in osse amovendo, dura matre cranio alligatâ, maximum esset periculum

de

de incisione ejus, immò impossibile est aliter esse quin lædatur, stante ipsius forti colligantia: quam colligantiam esse cum cranio per totum, contra alios recentiores medicos ostensum est supra.

Oportet ergo ut medicus volens operari in osse cognoscat tempus separationis panniculi à cranio, quia aliter ægris posset mortem inducere. Tempus autem separationis est cum adsunt prætacta accidentia à nobis sæpius dicta, nam tunc amovendum est os cum incipiunt accidentia: causa est, quia tunc remotus est panniculus â cranio, propter quam remotionem sanies habet locum in quo moratur, quæ extractione indiget.

Advertant tamen legentes, quòd dura mater ad paucam distantiam circa læsionem est separata, maximè illis qui sanantur, quia si esset omni ex parte separata ultra commissuras, ut tenent multi, rari sanarentur. Neque enim posset exiccari sanies in distantia tali, scilicet à commissura ad comissuram, sed semper sanies peteret decliviorem partem vacui, atque ita necessario ferè omnes læsi cum fractura cranii penetrante irent ad tartara. Credant ergo dictis nostris, & exerceant se in anatomiâ, non solis autoritatibus sed experientiæ fidem adhibentes.

Quod autem (tunc scil. quando dura mater est separata) debeat fieri ossis amotio, probatur autoritate Oribasii, qui loco prædicto subjungit talia verba: *Quæ nisi pungant expectetur per tres dies, plus & minus, ut colligatur sanies & removeatur cranium à matre dura.* Inquit etiam: *Et aliqui arbitrantur quod debeat fieri expectatio in quo nulla erit punctio, sub dubio nocumenti æruginis manantis & nocentis cerebro &c.* Hîc infert Oribasius quòd, quando sumus in dubio an debeat fieri apertio an non, debeamus expectare nocumentum æruginis, seu saniei, cerebro nocentis, quod nocumentum cognoscitur ex accidentibus; ex illius ergo sententia accidentia monstrant duram matrem esse separatam, & cum illa adsunt tunc os est incidendum.

Quod etiam talis incisio non debeat fieri nisi sit separata dura mater monstratur lib. 15. Continentis autoritate Pauli: *Requiruntur* inquit *signa significantia remotionem panniculi, quæ nisi inveniantur, consolidentur.* Ecce Paulus vult quod non debet fieri operatio alia nisi consolidatio, si panniculus sit separatus; quod quidem tempus separationis vel aggregationis saniei, si debeat aggregari aliquid, communiter ab autoribus ponitur esse in æstate ante

ſeptimum diem, in hyeme autem ante 14.

Quod tempus ponitur à Paulo l. c. ubi ſtatim ſubjungit: *& ſi invenitur* (ſcil. panniculus ſeparatus) *incide os in his locis* (in ipſius regione) *hyeme ante 14. diem, æſtate ante ſeptimam, antequam accidant illa accidentia mala prædicta.*

Advertè bene lector, quod ubi Medicus aliquo judicio poteſt cognoſcere oſſis amotionem neceſſariam fore propter cauſas à nobis ſupra dictas, quando citius aperitur tanto melius eſt, nec expectari debent accidentia, nec prædicti dies, ſcil. ſeptimus aut decimus quartus.

Nota etiam prædictam autoritatem Pauli eſſe adductam à Nicolo pro autoritate Galeni: ſed eſt Pauli, prout patet cuicunque legenti, & credo quod ſit error impreſſoris Nicoli.

Nota etiam quod Haly concordat de tali tempore cum Paulo, nam nono practicæ capitulo de fractura cranii inquit: *Si autem ſiphaos ſeparatus eſt, & contingit patienti vulnus hyemali tempore, oportebit partes oſſium omnino educere ante decimum quartum diem, æſtate autem ante ſeptimum, priuſquam quæ diximus illi oriantur accidentia.*

Cum iſtis etiam de tempore tali concor-

dat Albucasis libro tertio suæ chirurgiæ capitulo tertio inquiens : *Et si vides accidentia non terrentia te* (id est, non multum fortia, qualia sunt in principio quando sanies incipit ebullire sub cranio) *& speras salutem, tunc incipe curationem ejus. Quod si venit ad te vulneratus primis statim diebus, & est illud tempore hyemali, tunc oportet ut perficias ablationem ossis ante diem* 14. *secundum omnem dispositionem : si est in diebus æstatis, tunc oportet ut properes removere os ante diem septimum antequam corrumpatur quod est sub osse ex panniculo, & adveniant accidentia illa quæ narravimus.*

Ratio autem quare citius in æstate quam in hyeme operatio talis sit instituenda est, ut inquit Dinus, Nicolus, & alii, quia in æstate citius accidit ebullitio & putrefactio, in hyeme vero tardius.

Avicenna tamen visus est discordare ab istis de tempore, qui inquit. *Oportet ut non tardetur illud æstate ultra septem dies, in hyeme autem ultra decem quanto autem fuerit citius tantò erit melius, & longinquius ab hoc ut accidant nocumenta magna &c.*

Sunt qui dicunt quod cum decima dies non sit critica, textus Avicennæ sit corruptus & male traductus : quicquid sit

parum refert cum alibi dicat Avicenna; *quanto citius tanto melius &c.*

Miror autem quod Galenus dicat l. cit. quod major pars ſit curanda in die ſecundo. Certè à Galeno ponitur tempus nimis anguſtum : credo tamen Galenum loqui de magnâ fracturâ propter quam medicus judicat ſtantibus aliis conditionibus ulterius non poſſe curationem differri. Differentia hæc inter prætactos autores à bono medico facile dijudicatur.

Nota tamen lector, ad prænarrata accidentia inducenda & ad inciſionem accelerandam, concurrere præter anni tempus aliqua alia, ſc. ætatem, regionem, complexionem, humorum conditionem & ſimilia. Credo ſanè talia accidentia citius evenire in juvene & etiam tardius ſecundum corporis diſpoſitionem quam in ſene: & citius in complexione calida & humida quam in alia : & in humore calido & humido citius quam in alio. Cauſæ ſunt alibi declaratæ. Ita autem & de regione eſt cogitandum, ideoque dixit Paulus: *in his locis eſt facienda operatio:* ſcilicet in regione ſua. Et fortè Avicenna dixit de decimo die, & non de decimoquarto quia ejus erat valde calida. Ex prænarratis etiam poteſt judicari qui fiat quod citius adveniant accidentia in uno quam in alio;

licet ad accelerationem accidentium multum etiam concurrant conditiones læsionum: quia si magna est læsio citò veniunt accidentia, si mediocris veniunt & mediocriter & tarde accidentia, data vero paritate in læsione prædicta accelerantur & tardantur accidentia à causis antedictis.

Non est ergo mirum, si interdum potest transacta decimaquinta die fieri apertio in osse, sicut recitat Mapheus de Laude in sua quæstione de fractura cranii, qui post decimumquintum diem amovit os certo Comiti in capite pro sanie expurganda, qui sanatus est.

Ad hoc propositum tamen dicit Nicolus. *Certe est putandum quod ossis incisio fieri non debet nisi necessitas cogat te: ista autem necessitas determinatur ex inceptione aliquorum accidentium malorum, quibus visis statim ad incisionem medicus debet devenire.* Et ita re vera est procedendum.

Adverte tamen lector quod interdum adveniunt accidentia prædicta, & tamen sine ossis incisione sanatur æger. Et istum casum coactus vidi. Curabam me quasi invito Bononiæ quendam Martinum boletarum nuntium, qui fuerat ense vulneratus in capite, in cranio erat fractura ferè capillaris, major tamen, & intro penetrans sine panniculi læsione. Circa decimam diem

vidi

vidi accidentia separationem monstrantia: statim ergo volui os incidere, & fissuram ampliare, sed ille nunquam voluit consentire: processi ergo in cura cum attrahentibus, & semper per rimulam illam exiit notabilis saniei quantitas, cum ei imperárem, ut impelleret à pectore ad caput aerem: ita enim sufflando notabilis saniei quantitas exiit semper tamen habuit febres, & rigores, & inquietudines, usque ad quinquaginta fere dies. Tandem natura separavit totum os capitis à dura matre usque ad superficiem ossis, in quantitate hostiæ parvæ. Et sic dura mater carne tecta & iste sanatus est. Erat autem juvenis & fortis complexionis. Hoc dixi ut monstrem quid possit facere natura etiamsi non fiat cura regularis. Vidi autem hoc etiam in aliis, & res bene successit adhibitis medicinis attrahentibus, & maximè stante virtute regitiva totius forti.

Ex prænarratis igitur tam hic quam alibi supra, potest cognosci tempus aperiendi & amovendi os. Dico tamen cum Nicolo quod os non sit amovendum nisi necessitas cogat: quia sæpe sanantur aliqui absque ossis amotione cum medicinis debitis quos medicus non cogitabat sic sanari posse; & hoc pluries apud me fuit verificatum, & apud alios etiam practicantes.

Quo-

Quomodo autem iſta oſſis amotio debeat fieri infra dicemus particulariter, ubi ſecundum differentiam ſpecierum differentem ponemus modum amovendi os, monſtrando ſuis locis inſtrumenta ingenioſa ac ſatis tuta.

Antequam tamen ad hoc deveniam non nulla medicamina per me experta deſcribam ſuo loco. Ne autem expectes à me multitudinem medicaminum, ſed ſolum unum meum cerotum & unicum aliud unguentum, cum quibuſdam pulveribus & certis liquoribus & lotionibus quibus ego fere ſemper uſus ſum.

Quamvis enim multa alia expertus ſim, infra ſcriptis tamen nunc tantum utor, nec ad alias me converto medicinas ſequens mandatum Joannis Damaſceni, qui in ſuis Aphoriſmis inquit: *Tu autem ea quæ palam ſunt & in quibus omnes conveniunt, & maxime quæ probaſti tene, quæ vero in dubio ſunt & in quibus diſſentiunt omitte.* Certè nullus rationalis medicus poteſt infraſcriptas medicinas corripere, maximè ſi ſuo tempore ut decet adminiſtrentur. Idem etiam inquit: *medicamina tibi pauca tenenda ſunt, niſi quorum juvamenta ſæpius expertus ſit. Totius enim multitudinis notitia incomprehenſibilis eſt: nam cum per ſingula volueris inquirendo diſcurrere multiplici diver-*

verſitate ſenſuum diſtractus nulli poteris fidem habere. Rerum proprietas dubia eſt: ea namque multi olim experientes arbitrati ſunt fieri à proprietate quæ plerunque faciebat naturà. Avicenna etiam ſecundo canone & quinto inquit: *ſcias quod medicina experta melior eſt non expertâ & parum medicinarum melius eſt plurimo earum una intentione.* Haly etiam ſermone ſecundo partis ſecundæ inquit: *tutius eſt uti inventis quam uti novis experimentis; in experiendo enim medicamina in corporibus hominum periculum imminet animarum, in periculis autem communior & probabilior via eſt tenenda.*

Iſtis ergo motus contentus paucis remediis ſum. Multa tamen remedia ſuperius notavi de mente autorum peritorum, quæque per me experta ſint dixi, ut ſi contingat unam medicinam non haberi poſſit haberi altera, ita enim hoc noſtrum opus erit magis utile & acceptabile.

Antequam verò ulterius procedam dicendum eſt etiam aliquid de loco in quo tutius operandum eſt in capite: deinde quanta oſſis pars amoveri debeat, quænam medicina magis conveniat ſicca an humida videbimus: & tandem denique particulariter medicinas à nobis paulò ante dictas trademus.

CAP.

Cap. XXXVII.

Quâ in cranii parte ossis remotio instituenda sit.

De loco autem eligendo ubi in cranio apertio & ossis amotio debeat fieri, notant autores quod sint tres intentiones quæ determinant locum incisionis in cranio.

Prima, est situs loci: nam debet fieri in decliviori loco, quia melius inde expurgantur superflua; Secunda, est ossis qualitas, quia interdum aut nimis grossum est os, aut nimis durum: quamvis convenit ex parte situs. Tertia ducitur à novorum processionibus.

Huic rei attestatur Galenus lib. 6. Ingenii. *Vidi* inquit, *aliquem cujus cranium fractum, & os temporali passum erat: tunc tempora dimittens os quod erat in cranio incidi, & æger sanitati est restitutus & adhuc vivit. Quod si cranium neglexissem necessario pelliculæ quæ sub eo erant computruissent priusquam os solidatum fuisset: nam nisi saniem à superioribus ad inferius scivissem semper descensuram incisio ossis non fuisset utilis &c.* Inquit præterea: *alium vidi in capite*

pite ſicut prior ſeſe habentem : tunc arbitratus ſum dimittere os quod ſuperius erat , & incidere ea quæ juxta illud erant , ut ſanies haberet locum fluendi. Cumque groſſiciem hujus oſſis & duriciem conſiderarem , vidi magis eſſe utile ut os quod ſuperius erat abſcinderetur quam ut in ſanie ſtudium imponeretur , quoniam timui ne cerebrum moveretur. Item recordatus ſum quod ſi latum foramen fieret in oſſibus lateraliter exiſtentibus, hujus cauſa cerebrum deſcenderet & foras exiret.

Prædictum textum recitat Guido ſub aliis verbis dicens : *Vidi denique bregmatis quidem os fractum , quod vero eſt deinceps , os vocatum temporis , ubi ſquamiformes immiſſiones eſſe accidit , uſque ad multum maximam habens fiſſuram : quam fiſſuram nos omnino non tangentes ſed ſolum abſcindentes ea quæ circa bregma ſunt curavimus hominem ut adhuc vivat ab annis multis. Si vero os bregmatis reliquiſſemus putrefacta fuiſſet utique ſuppoſita meninx antequam poroſaretur fractura.*

Adverte quod textus primus Galeni obſcurus eſt , ſecundus vero à Guidone adductus lucidus & eſt clarus , idem tamen dicunt & amborum eadem eſt ſententia. Dicit ibi Galenus quod habuit quendam caſum , in quo cranium erat fractum in duo-

duobus locis (ſicut etiam dicit litera textus Guidonis) ſcil. in ſuprema parte capitis ubi ſunt oſſa bregmatis (quæ ſunt duo tantum , eaque cranium appellant medici , & maxime Avicenna prima primi c. de anotomia cranii) & in oſſibus temporum. Galenus in operando tantum incidit cranium non autem partem inferiorem : ratio fuit , quia in temporibus erat magna fiſſura, ſicut dicit textus Guidonis, à qua libere fluebat ſanies : in ſuperiori enim parte non ita libere poteſt exire ſanies ſicut à lateribus , ſed ſi ibi ſanies aggregetur illa corrumpit cerebrum , quia ſitus non eſt ita aptus ad expurgationem ; ſicut ſitus temporum. Atque ita ille quidem ſanatus eſt.

Aliâ vice ſimilis ſeſe caſus obtulit , in quo Galenus volebat partem inferiorem aperire , ſed conſiderans os ibi in temporibus eſſe durum & groſſum , dubitans quoque de motu cerebri & de ejus exitu ſi magnum fieret foramen , de periculo item læſionis nervorum ab iſto loco exeuntium : iterum aperuit in ſuperiori loco , (h. e. in cranio ſive bregmate) iſte etiam ſanatus eſt.

Ideoque præter ſitum , etiam oſſium qualitas & nervi exeuntes à cranio variant locum inciſionis faciendæ. Nota tamen

lector

lector quod loca à quibus exeunt nervi ab osse capitis sint valdè profunda, quodque ossa temporum in aliquibus locis non sint crassa, etsi duriora sint bregmatis ossibus.

Quod si daretur casus in quo solum os temporum esset læsum ego non essem tantæ audaciæ, ut in cranio (h. e. in bregmate) facerem perforationem, quia nescio modum per quem sanies ascendere posset sursum tam remotè, tanto magis si sanies sit inter duram matrem & os temporum: quia sanies semper aggregatur in loco percussionis, & non potest ascendere ad ossa bregmatis, quia est inter tempora & ossa bregmatis dura mater alligata in aliqua parte cranii, quæ alligatio impedit ascensum saniei. Crudele etiam esset aperire cranium à temporibus ad verticem usque.

Ideoque quamvis Galenus dicat sese tempora non aperuisse propter duritiem & grossitiem, & propter nervos exeuntes & propter exitum cerebri: ego tamen audacius aperirem ossa temporum si ibi læsio adsit temporum, quàm bregmatis ubi non sit læsio, observans prudentiam, & faciens honestum foramen, & post foramen ordinans ita ægro situm jacendi cum capite ut sanies exire posset & non cerebrum: fugiens etiam loca nervorum, & quærens locum in quo os sit magis subti-

le; nam deinde bonis & tutis instrumentis operanti minus crearetur periculi, quàm observanti exempla prædicta malè intellecta à multis.

Dicunt alii esse maximum periculum operari in loco commissurarum vel prope illum, quia per commissuras egrediuntur multi nervi & venæ & arteriæ, sicut dicit Avicenna prima primi cap. prædicto: immo si fissura sit continuata cum commissura, vel si sit prope eam, dicunt fieri debere amotionem ossis sani continuati cum osse læso longè à commissura.

Nota tamen lector quod quamvis arteriæ & venæ & nervi reperiantur inter commissuras non tamen; propter ea medicus semper debet commissuras fugere in operando: nam possunt reperiri aliqui casus in quibus non minus necessaria est ossis amotio in commissura quam alibi nempe si contingat caput lædi notabiliter in loco commissurarum ob quòd vel statim vel paulo contingat ibidem duram matrem esse separatam, tunc etsi commissuris operetur nullum fiet nocumentum venis aut arteriis, quia jam sunt separatæ & à cranio distantes.

Talem operationem ego pluries feci, nec cognovi differentiam aliquam ab aliis locis. Est itaque hoc modo operandum

quia

quia bene ſuccedit res. Prudenter autem ad plura advertitur dum operatio in loco & ut locus bene expurgetur providetur.

CAP. XXXVIII.

Quantam oſſis particulam ſeparare liceat.

DE quantitate vero amotionis oſſis faciendæ notat Avicenna cap. de fractura cranii autoritate Hippocratis & Galeni, non oportere incidi ex oſſe niſi quod eſt infirmum, nam illud quod ex eo eſt comminutum vehementer oportere omninò auferri. *Quando autem* (ait) *extenduntur fiſſuræ extenſione plurima nam non oportet ut tunc conſequaris fiſſuras uſque ad finem earum. Et ſcias quod non accidit propter hanc cauſam ros nociva modo in reliquis operationibus quæ oportet fieri fiant ſecundum quod oportet &c.*

Hæc ſententia eſt etiam poſita à Galeno l. 6. Ingenii c. 6. *Si vero* inquit. *os totum fractum ſit neceſſe eſt totum auferatur, donec ad ſanum venias locum: ſi vero non ſit fractum neque contuſum, non totum auferatur, ſed quod ſcitur eſſe nocivum & non poſſe manere. Hoc multoties ego feci & non incurri errorem.*

Nota tamen quod iſta oſſis quantitas menſuratur ab experto ſecundum quantitatem & qualitatem ſaniei contentæ: quia ubi eſt minor ſaniei quantitas requiritur minor via ad expurgandum, ſi ſit groſſa vel ſubtilis indiget magnâ viâ vel parvâ. Menſuratur etiam ſecundum quantitatem panniculi alterati, ut poſſit fieri abſterſio & mundificatio etiam actu cum operatione manus & medicinis ſimul in panniculis. Menſuratur etiam ſecundum quantitatem alienæ rei extrahendæ. Menſuratur etiam talis quantitas penes locum: quia in vertice major pars oſſis movetur quam ante & retro & à lateribus: nam ſitus juvat ad expurgandum ſaniem. In inferiori etiam parte capitis multa quantitas oſſis non eſt amovenda, ne cerebrum foras exeat neve ex magno foramine rumpantur nervi caput exeuntes, qui ſunt à lateribus & in parte poſteriori magis quam alibi.

Ideoque dicit Nicolus; *non eſt niſi maximum periculum in parte poſteriori os removere, ut dicunt quidam, maxime cum dicant nunquam ſe vidiſſe nec audiviſſe aliquem qui evaſerit in quo oſſis amotio facta fuerit parte poſteriore.*

Dico tamen ego aliquoties me vidiſſe oppoſitum. Et hoc inter alios vidi in Domino Paulo Ungaro, quem ſuperius

ad-

adduxi pro exemplo de incisione cerebri, qui inter alia vulnera habebat vulnus magnum in parte posteriori capitis inferius versus collum, à quo in prima visitatione amovi notabilem ossis partem, & tandem evasit. Est etiam tibi notum inclyte Princeps, quod cum instrumentis magnam satis ossis quantitatem in capitis tui parte posteriori amoverim, & tamen optimè convaluisti. Aliquos etiam alios vidi. Verum hæc sufficiant de quantitate & loco amotionis ossis.|

CAP. XXXIX.

Qualia medicamenta capiti sint applicanda.

VIso tempore & loco & quantitate ossis amovendi, ad medicinas quæ sunt applicandæ est recurrendum. Videtur autem quod Galenus lib. 6. Ingenii capitulo sexto in fine ponat dubium inter medicinas approximandas, scilicet an debeant esse complexionis siccæ vel humidæ, istis verbis. *Restat ut de medicinis ossium capitis disputemus, & qualiter post incisionem sit studendum, notificemus.*

Dubitatur autem an osse capitis inciso me-

dicina quæ dolorem capitis mitigat imponenda sit sicut pluries medici fecerunt hoc tempore, an alia vero huic rei opposita i. e. siccissima. Hanc certe Methos semper laudavit, similiterque quidam senior in civitate nostra solitus est facere; super pelliculas namque quæ sunt sub cranio, quas denudabat ab osse, mox ponebat unguentum quod dicitur ethisios, & super hoc unguento ponebat mel & acetum mixtum. Atque hoc quidem senex frequenter utebatur hac medicina, sed nec ab ullo eam in hoc loco fieri vidi, nec ego audaciam habui ut eam facerem. Hoc equidem illo sene testabor plures ab hac medicina curatos in Asia, quam ab illis qui medicinam doloris mitigativam ponebant. Qua propter volui eam probare cum in Asia degerem: sed nunc dum Romæ sum eam postposui quoniam sequutus sum chirurgos Romanos. Sed cum inquisivi essentiam naturæ rerum, recordatus sum cujusdam rei quam experimento probavi. Dico ergo foramen aurium ad quod auditus penetret non solum ad duram pelliculam ascendere, sed etiam ad nervum auditorium: quoniam ergo foramen illud isti vicinum est pelliculæ & nervo qui de cerebro oritur, & fortem sustinet medicinam sicut diximus, non est mirum quod dura pellicula ablatis ossibus ferre possit forte medicamen, si non habeat magnum apostema, quia substantia ejus siccissima est &c.

Ale-

Alexander etiam medicus commendat ſenem illum cum medicina ſicca, ut inquit Jacobus de artibus.

Sexto etiam magnæ artis capit. ultimo de fractura cranii ſcribitur: *feſtinanda ſunt quæ carnem ibi creent, quæ ſiccativa medicamina ſunt; ſed prohibenda ſunt quæ mollificant & putrefaciunt ſicut cera & oleum & ſimilia. Hæc niſi fecerimus non ſumus ſecuri quod non orientur moleſtiſſima & lethifera accidentia. Oſſa vero quæ ſunt expellenda cum magno timore & cautela extrahantur.*

Iſte ſuperior textus eſt adductus à Jacobo de artibus, & non habetur in noſtro megategni, laudatur tamen etiam in noſtro medicina ſicca.

Verum ad declarationem talis dubii eſt deveniendum, cum etiam reperiantur aliqui qui oſſe inciſo & amoto ſolum procedunt cum oleo roſato, ſicut apparet apud Raſim lib. 15. Continèntis, ut autoritate Pauli inquit: *ſuper ſiphac pone pannum infuſum in oleo roſato & vino &c.*

Serapio etiam de cura ſodæ à percuſſione inquit: *Si velamen durum detectum fuerit, fundemus ſuper illud oleum roſatum tepidum tantum, quod ſi non fuerit detectum addemus ad oleum parum aceti.*

Avicenna etiam in capitulo de fractura cranii: *Amplius poſt curationem cum ferro*

accipe pannum lini extensum ad quantitatem oris vulneris, & infunde ipsum in oleo rosato, & cooperi cum eo os vulneris: deinde accipe pannum duplicatum aut triplicatum, & infunde ipsum in vino & oleo rosato, & linias vulnus totum oleo rosato. Ordinat etiam ligaturam levem latam & regimen contra inflammationem, & alia similia, & denique carne repleri jubet.

Inquit etiam Albucasis. *Accipe pannum lini secundum quantitatem vulneris & submerge ipsum in oleo rosato & pone ipsum super orificium vulneris. Deinde accipe alium pannum duplicatum vel triplicatum & ipsum submerge in oleo rosato & vino, & pone ipsum super pannum primum & colloces istud quam levissime super illud ne gravetur siphac.*

Visis istis opinionibus contrariis videndum est cui opinioni sit adhærendum, Galenus certè ad literam tenet medicinam exiccativam magis convenire in læsionibus capitis penetrantibus, prout superius ab illo dictum est ob experimentum in Asia visum, & rationem complexionis membri quod est siccum. Idem etiam dicit Alexander & auctor magnæ artis ait: *dicimus etiam duram matrem esse nerveam, sed in vulnere nervorum cum detectione ipsorum dato etiam quod attendamus ad prohibitionem apostematis, nunquam intra vulnus ponitur*

oleum

oleum rosatum quoniam putrefaceret: ita etiam dicimus oleum rosatum supra duram matrem non debere poni.

Oppositum tamen tenet Serapio, Paulus, Avicenna scilicet, & multi alii: melius esse incipere post detectionem & in omnibus vulneribus intra cranium penetrantibus cum medicina doloris mitigativa (scil. cum oleo rosato) quam cum valde siccâ medicina. Ita etiam inquit Galenus tertio ingenii cap. 8. *prius est vacandum accidentibus quam solutæ continuitati, maximè apostemati & servanda est membri complexio; sed quia in omnibus vulneribus capitis post ossis amotionem statim currunt humores & quidem calidi ad locum affectum, ideo cum frigidis & aliqualiter stipticis est procedendum: qualis processus est cum oleo rosato.*

Avicenna etiam quarta primi cap. ultimo dicit: *quando invicem duo conjunguntur morbi, aut est suspitio ut conjungantur, incipiendum est à curatione illius quod est magis suspectum, vel illius sine cujus curatione alter curari non potest. Sed in prædictis vulneribus est aptitudo ut eveniat apostema in panniculo cooperiente, & spasmus, & alia quæ vulnere ipso molestiora sunt. Ideo post talem detectionem ossis in talibus vulneribus, etiam sine ossis elevatione, melius est administrare ea quæ doloris & apostematis sedativa sunt maxi-*

maxime donec ſimus tuti à talibus accidentibus : & poſtmodum adminiſtrare ea quæ valde exiccant, ut ulcus carne repleatur & conſolidetur.

Attende tamen operator, quod licet tutius ſit incipere poſt oſſis amotionem cum oleo roſato propter rationes prædictas, in proceſſu tamen cum oleo eſt attendendum ut quam citiſſimè fieri poteſt removeatur ejus adminiſtratio, quia vulneri inquantum vulnus eſt non convenit, nec eſt conveniens complexioni membri. ideoque nimius ejus uſus inducit putrefactionem. Et in iſto caſu errant multi medici, ſed communiter doctores laudant per tres dies vel parum ultra uſum olei roſati tunc uti incipiunt permiſcere illi mel roſatum & vinum & alia exiccantia, magis & minus ſecundum accidentia viſa. Et ſic dicunt multi Galenum voluiſſe dicere lib. 6. ingenii, Alexandrum, & autorem megategni.

Ad id autem quod dictum eſt, quod non ponimus oleum roſatum in vulneribus nervorum, dato quod in ipſis ſit dubium de eventu apoſtematis, eſt dicendum: quòd quamvis panniculus ſit nervoſus non totaliter tamen convenit cum nervo, & in vulnere nervi non eſt tanta agitatio in humoribus ſicut in vulnere capitis propter commotionem factam in oſſe amovendo.

Quarè

Quarè convenit in capite magis uſus olei roſati ut repercutiat & confortet, ſed in vulnere nervi eſt alia ratio impediens, nempè ut plurimum materia eſt inbibita vel inbibenda in nervo, quia unde ſi adminiſtretur oleum roſatum fiet putrefactio illius materiæ & ſic cortumpetur nervus; panniculus autem eſt ſubtilis in ſe paucam potens recipere materiam reſpectu nervi. Ideoque in capite convenit oleum roſatum in aliis vero membris ubi ſunt nervi non. Atque ita apparet cur in principio conveniat olerum roſatum in fine vero medicina ſicca. At ſic videtur eſſe reſponſum ad objecta.

Non ſemper tamen poſt oſſis amotionem eſt ponendum oleum roſatum ſed aliquando, & interdum etiam medicina ſicca & abſterſiva eſt ponenda prout requirit diſpoſitio. Interdum enim medicus incidit os, & illud amovet, ſub quo oſſe invenit panniculum ſanum non alteratum notabiliter, & tunc procedit cum oleo roſato, ut ſupra dictum eſt. Sed interdum invenit panniculum alteratum, etiam paratum putredini, & tunc procedere ſupra panniculum cum oleo roſato eſſet extra propoſitum, quia augeretur corruptio & putrefactio. Sed tunc eſt procedendum cum mundificantibus & putrefactionem impedientibus, & talia ſunt ſiccæ complexionis

nis. Ideoque non ſemper eſt procedendum cum medicina doloris ſedativa.

Quod ſi vero contingat ut ex commotione capitis & ex dolore cauſato in abſtractione oſſis currant humores ad locum affectum, illos divertimus alia via quam cum medicina locali doloris ſedativa, puta evacuatione & diverſione convenienti, & localia ponimus tantum circa caput, quæ ſint ſicut eſt oleum roſatum: aliter enim fieri non poteſt. Debens autem iſtæ medicinæ ſiccæ tunc adminiſtrandæ eſſe graduatæ ſecundum gradum alterationis panniculi: quia ſi non multa ſit corruptio apponimus oleum roſatum ſimul cum melle roſato, modo quidem plus de roſato; modo verò plus de melle roſato ſecundum alterationum diverſitatem.

Rariſſimè autem fit quin ponatur aliquid mellis roſati in oleo, maximè cum raro amoveatur os quin ſub eo experiatur ſanies aliqua, ſi operatio ſit canonice facta. Sunt enim aliqui qui interdum decipiuntur, ſcilicet ut amoveant os non admovendum & nihil ſub illo reperiatur ſaniei aut alterationis: & tunc non convenit mel roſatum ſed ſolum oleum roſatum. Interdum etiam canonice operatum eſt in oſſe amovendo & non reperta eſt ſanies in loco affecto, quia nondum erat ibi genita.

Puta

Puta si fuerit facta ossis amotio in prima hora, vel primis diebus læsionis propter os pungens, vel gravans, vel aliquid aliud, extraneum in capite fixum: aut si cito medicus amoverit os dubitans de necessitate an scilicet amoveri debeat.

In omnibus autem isti casibus, in quibus non est adhuc sanies, solo oleo rosato est procedendum, modo & via sà nobis parum ante dicta. At ita in qualibet læsione capitis, dato etiam quòd non requiratur ossis amotio, cum oleo rosato est, procedendum ut prohibeatur adventus apostematis, maxime in principio: atque ita per gradus veniendum est ab oleo rosato ad mel rosatum sicut currit tempus in prædictis vulneribus. At quidem prædicta omnia remittenda sunt semper prudentiæ boni & legitimi medici: quia accidentia venientia & non venientia faciunt talem curam variare.

Licet autem supra dixerim oleum rosatum solum non convenire nisi circa tertium vel quartum diem quia est putrefactivum, ego tamen sæpe usus sum eo ultra septimum diem, sæpe etiam usque ad decimum, non sine fructu. Licet etiam dixerim quòd debemus cum illo miscere mel rosatum, modò plus modò minus secundum necessitatem mundificationis; nota

ta tamen aliquos esse casus in quibus debemus cavere à melle rosato propter suam caliditatem & virtutem ipsius absterſivam, maxime ubi est periculum de fluxu sanguinis ab aliqua vena, vel in panniculis vel in labiis vulneris; & tunc enim utimur oleo rosato cum vino. Quod si item vereamur ne mel sua mordicatione in aliquo capite calido sit causa attractionis humoris ad caput, & ita sit causa apostematis & alterius mali accidentis tunc enim loco mellis rosati sumitur juleb rosatum, quod minus mordet & est minus calidum. Atque ita prudenti medico semper hæc remittuntur, quia in capite calido & in tempore calido tardius devenitur ad mel rosatum, quam in frigido capite & in tempore frigido.

Unum volo non ignorare operatores hujus artis, nimirum quòd quacunque hora fiat talis operatio semper ponuntur humores in motu, etiam si fiat ultra decimum diem: ideoque optime tali tempore quæritur humorum refrenatio & distractio, pharmaciâ, phlebotomiâ, fricatione, ventosatione, sanguisugarum applicatione, & convenienti diæta: (quamvis etiam de talibus aliquid ad sufficientiam actum sit à principio) quia nova causa indiget novo remedio, minus tamen & magis secundum con-

conditiones læſionis & ſubjecti prout videtur rationali medico.

Hæc ſufficere volo pro cognitione medicinæ, applicandæ in cura læſionum capitis ubi os inciditur & amovetur.

CAP. XL.

Deſcriptio medicamentorum quibus potiſſimum in cranii fractura auctor ipſemet uſus eſt, eorumque legitima adminiſtratio.

VIſa qualitate medicinæ, adminiſtrandæ facta oſſis amotione, videmur etiam ſufficienter declaraſſe qualiter accidentibus ſit ſuccurrendum, reordinando univerſalia ut fecimus, & apoſtema ſedando, ſi ſit vel futurum fuerit, per localia tam hic in tertio inſtrumento quam ſupra in ſecundo, ubi de medicinis localibus egimus indicat.

Nunc vero ad ſuperius promiſſa devenio, ſcilicet ad localia à me magis dilecta, & quibus continue utor.

Dico autem primo quod inter cæteras medicinas capitales exterius approximandas, nullam unquam cognoverim parem cero-

to

to meo capitali, quod humanum appellatur: appellatur autem ita, quia in eo ingreditur notabilis pars humanæ ſubſtantiæ, vel mumiá.

Et nota quod ſemper viderim & audiverim hoc obſervari ab antiquis de familia mea, quod illa mumia quæ ingreditur hoc cerotum debet eſſe de parte capitis hominis. Eſt autem mumia de qua loquor caro humana ſicca: & vidi ego Venetiis corpora ferè integra de tali mumia. Servabant autem majores noſtri (prout & à patre meo accepi & ipſe vidi) unum & alterum caput domi ſuæ hujus mumiæ, de qua capiebant quicquid ad confectionem talis ceroti requiritur.

Dicunt quidam quod propter ſimilitudinem membri cum membro ſit quædam ſymboleitas & amicitia, quodque magis juvet quam ſi de alio membro mumia illa acciperetur; quicquid ſit ego vidi ab iſto ceroto miranda præſtari & credo quod ſi daretur via ad vulnera capitis ſananda abſque oſſis amotione quòd hæc eſſet illa medicina ſola, tanta eſt amicitia ejus cum complexione capitis. Revera enim ſæpius vidi applicari tale cerotum capitibus, quocunque modo læſis, labiis ſiccis, & cum multis malis accidentibus, & cum ſanie peſſimæ conditionis: & prima vel ſecunda die

ap-

applicationis vidi labia vulneris digeri, & saniem ad bonam qualitatem reduci, & accidentia remitti, & sic de bono in melius omnia succedere. Subintellige autem tales casus quorum cura non est desperata nec impossibilis.

Et de hoc solo rogo operantes si nunquam tale cerotum ab eis conficiatur, ut conficiant omni diligentia & bona custodia prout à nobis bono corde & læto animo lucem clarissimam omnibus medicinæ fidelibus condonatum est. Deum equidem testor quòd pro isto ceroto viderim patri meo offerri magnam pecuniæ quantitatem: at ille plane renuit dicens, hoc cerotum non esse dandum alicui nisi propriis filiis, quasi esset hæreditas quædam preciosa. Ego tamen (fortè nutu Dei) oppositum facio: sic autem facere credo multa bona mereri esse. Qua vero custodia & diligentia servari & confici debeat infra dicetur.

Ceroti autem illius hæc est descriptio. Recipe: terebinthinæ lotæ cum vino malvatico, resinæ pini colatæ, ceræ albæ ana ℥iii: mumiæ ℥iß: liquefiat simul liquefacienda: postea adde mumiam paulatim cum spatula miscendo, usque quo omnia acquirant mixtionem perfectam circa ignem semper ne coaguletur: facta convenienti mixtione omnia projiciantur in vas argen-

teum vel alterius materiæ benè mundum, in quo ſint l. 3. aceti roſati ex vino malvatico. Hic loci dimittatur per diem & noctem: poſtea manibus in eodem aceto bene malaxetur uſquequo acetum totum expreſſum ſit à ceroto. Deinde pone cerotum in vaſe vitreo vel terreo vitreato ſine aceto, & in tali vaſe pone lactis mulier. ℥vi: ſucci tormentillæ, ℥i: ſucci pentaphylli ℥iiii: ſucci betonicæ ʒii: ſucci bryoniæ, ſucci plantaginis ana, ʒiß: omnia lento igne bulliant ſuper cineribus calidis, uſquequo conſumatur de prædictis liquoribus tanta quantitas quanta fuit lactis: poſtea adde ſucci verbenæ ℥i:, ſucci pimpinellæ ℥iß:, & pone omnia in ferventi ſole, eâ cautela ne à vento pulvere extraneo repleatur: cooperta itaque aliquo panno raro & ſubtili ſtent in ſole, per menſem ad minus: addatur ſingulo die lactis mulieris puellam lactantis ℥ii: ſucci betonicæ ʒi: & ſic ſi ſol ferveat ſemper lac & ſuccus conſumetur ſive exiccabitur. Oportet autem ut ſingulis horis bis vel ter aliquis revideat cerotum in ſole, & cum baculo ligneo mundo ſuccum, lac, & alia quam fieri poteſt optimè ſimul ducat, ut fiat optima mixtio. Si contingeret ut ſol non poſſet exiccare tale lac & ſuccum propter conditionem temporis (ſi videlicet aër

eſſet

esset nebulosus vel aliter dispositus) singulis diebus ponatur tale cerotum in aliquo cacabo mundo & terso, & lento igne bulliant omnia usque ad consumtionem succi & lactis. Atque ita erit medicina confecta mirabilis.

Sed sic perfecto ceroto solebant sic facere nostri majores: capiebant cerotum, & habebant lac mulieris prædictæ conditionis in aliquo vase, in quo tenebant cerotum infusum per diem naturalem, deinde simul cum lacte illo malaxando optime, manibus conficiebant magdaleones unciarum quatuor pro singulo, & sic in charta pergamenâ involvebant, post hoc in aliqua pixide ponebant, intra quam sub & supra, & à lateribus ponebant pannum lanæ coloris granæ finæ, & postea in capsa aliqua benè clausâ servabant.

Cum vero opus erat eo, utebantur isto modo: scilicet faciendo peciam magnam circundantem vulnus per quatuor digitos vel circa, pluribus foraminibus perforatam, & in vulneribus supra vel infra os (si amotum erat os) supra panniculum ponebant peciam parvam dicti ceroti extensam super sindone. Et sic aliqua alia tenta seu lychnio ex panno lini subtili & albo replebant vulnus, lenissime tamen, & hoc cerotum applicabant circa septimum diem, nisi san-

guinis fluxus impediret, lavando semper vulnus cum vino malvatico in quo faciebant bullire rosas rubras & sic usque ad finem hoc solo ceroto procedebant. Semper autem ponebant duas vel tres guttas mellis rosati bene cocti in fundo vulneris. Atque hic erat eorum & hic meus est processus.

Sed quia prædictum cerotum ingreditur pimpinella & tormentilla aliæque herbæ à quibus cum difficultate exprimitur succus, servabant istum ordinem: pistando tales herbas semper irrorabant eas bono vino malvatico, & postea cum torculari extrahebant prædictarum herbarum succum sed magno labore, post primam etiam pressionem quæ fit cum sacculo grosso solido & denso (aliter enim non exiret succus) colabant succos illos cum pecia munda, cujus porositates erant satis angustæ.

Et iste est totus modus conficiendi istud cerotum humanum: quo ego utor si ad manus est: sed raro nunc ego utor, quia non sum in loco in quo possim habere tormentillam ad sufficientiam: ideoqne jam loco istius ceroti utor unguento infra scripto, cui etiam magnam adhibeo fidem, vel utor ceroto meo betonicæ superius in aliis medicinis meis descripto, & dicitur cerotum betonicæ expertum, ad quod habeatur recursus. De-

Deſcriptio vero unguntipraedicti de matreſilva haec eſt. Recipe, terebinthinae, reſinae pini, cerae novae, ana ℥iv: olei roſati ℥viii: maſtichis, thuris, ana ℥i: gummi helleni ℥ii: matriſilvae & betonicae pulveriſatae, ana ℥iij. matriſilva & betonica ponatur in infuſione ſecundum artem in lib. 10. optimi vini per diem naturalem, poſtea adde omnia praedicta, excepto gummi Elemni, thure & maſtiche, & bulliant omnia forti bullitione uſquequo ſit conſumpta media pars vini, & donec ſic bulliendo appareat haec mixtura coloris viridis ſatis intenſi, & tunc coletur & permittatur coagulari. Coagulatum à vino ſepara, & coagulatum totum accipe & pone iterum in cacabo, & bulliant ita ut partes vinoſae quae remanſerunt in unguento reſolvantur: cognoſcitur autem hoc iſto ſigno, ſcilicet quod dum bullit non amplius facit ſpumam nec ſtridorem. Hoc facto iterum cola, in colatura adde gummi helleni, maſtichem & thus, ſubtiliter pulverizata, & ſemper ſupra ignem lentum miſce uſquequo optimè omnia incorporentur poſt hoc ſemper ducatur ſpatulâ in loco frigido uſquequo coagulatum ſit.

Hoc unguento utere conficiendo peciam maxîmam ſupra caput, ita etiam ut teneat talis pecia totum caput, & in labiis de eo-

dem unguento pone ſuper lychnia, procedendo continuo in fundo vulneris cum melle roſato mixto vel puro.

Simul autem cum iſto unguento utor ego pulvere capitali deſcripto à Galeno, Haly, Avicenna, aliiſque medicinæ inventoribus. Qui pulvis eſt iſte. Recipe, farinæ orobi, ireos, ariſtolochiæ longæ, corticum opoponacis, corticum thuris, ana: & fac pulverem.

Alii addunt huic pulveri mirrham, ſarcocollam, & ſanguinem draconis: Brunus etiam & Lanfrancus addunt mirthi grana, & nuces cupreſſi: alii addunt & centaureum & hermodactylos. Ego autem prima tantum utor deſcriptione, mihique bene ſuccedit: alia tamen adjuncta placent mihi, imò etiam ego cum video carnem ſuper creſcere pono hermodactylos ſolos, quia magis exiccant, & ſic carnem aliqualiter minuunt, & ſi non ſufficiunt addo aliquid aluminis uſti. Prædictum autem pulverem pono tranſacta decimâ quartâ die cum jam incipit caro generari; & ſic lavando cum malvatico, & melle roſato ſuper poſito, deinde ſuperaſperſo pulvere prædicto, & replendo ſemper vulnus filis prædicto unguento linitis, uſque ad tempus ſigillationis procedo.

Interdum tamen lavo fundum cum decoctione infraſcripta, maximè, ſi contin-

gat

gat virulentiam & saniem aggregari in fundo talis læsionis, quin lavando etiam cum syringa si opus sit. Decoctio autem hæc est. Recipe vini malvatici lib. 4. rosarum rubrarum, betonicæ, pimpinellæ, matrisilvæ, centaureæ, stæchados aromaticæ ana m. ß: aristolochiæ longæ, ireos, corticum thuris, ana ℥iv. bulliant omnia simul, usque ad duarum partium consumptionem: (sed rosæ bulliant bullitione una tantum) & colentur. Colaturæ adde mellis rosati optimè cocti ℥iv.

Ista lotio est mirabilis in sanie exiccanda in ulceribus profundis capitis. Et hæc est illa, Illustrissime Dux, quam ego ordinavi & feci manibus meis pro capite tuo: hoc liquore siringabam & interdum cum parva spongia embrochabam fundum ulceris tui capitis, à quo prius non parva saniei quantitas exibat. Et ab ista lotione fuit facta saniei exiccatio & carnis repletio, & una cum aliis auxiliis tandem consolidatio.

Admirabuntur forte aliqui istum modum procedendi in vulneribus capitis syringandi & lavandi: ut à nobis præmissum est. Sed non est quod quis miretur quia hæc non sunt admirationem inferentia, nam quilibet rationalis medicus hoc tenetur agere, vel istâ vel aliâ medicinâ,

in ulceribus profundis, cavernosis, & occultis. Atque hæc est meus omnium peritorum, & maximè Avicennæ *c. de cura ulcerum*: & ita ego sum solitus operari in aliis, lavando & siryngando cum opus est.

Notent tamen legentes esse istis medicinis non utendum à principio, sed transacto tempore apostematis, tardius etiam in æstate illis utendum esse. Sed â principio (scilicet transactâ quartâ) ego solitus sum lavare unguentum matrisilvæ prædictum cum lacte mulieris, & eo sic loto, utor per tres vel quatuor dies, quia non est ita calidum nec ita suspectum de attractione materiæ ad caput: utor interdum etiam aquâ rosatâ, lavo maximè in tempore calido & capite calido, & ubi imminet periculum de fluxu sanguinis, vel ubi adest febris intensa & magna inflammatio in capite. Interdum etiam tali tempore lavo vulnera lacte mulieris, ut alibi dictum est. Utrum hæc committo prudenti medico, qui sciet uti calidis & frigidis & mixtis suo loco & tempore.

Cap.

CAP. XLI.

Descriptio instrumentorum chirurgicorum quorum in cranii vulneribus usus est.

SEd antequam ad ossis amotionem aliquam deveniamus, necessarium putavi instrumenta prius conscribere, ut medici illa habeant parata. Sed quia diversarum formarum & quantitatum debent esse talia ferramenta, eorum formas, ut promisi, hîc ponam. Et quia etiam aliquos auctores reperio dissentire de modo operandi, (alii enim prius incipiunt cum instrumento lato, alii cum subtili & stricto) super hoc etiam erit aliquid dicendum.

Et dico primo & ante omnia, quòd instrumenta seu ferramenta multis denominantur modis, ita ut interdum confundant audientes. Ne itaque operatores ambulent in tenebris, cuicunque instrumento seu ferramento nomen imponam. Atque ita invenies in pictura inferius posita eorum nomina, quæ à nobis hîc in quodam catalogo in universali necessario circumscribenda esse putavi.

Dico ergo à me omnia instrumenta à

medicis descripta apta os capitis perforare & sine quibus non potest os perforari, Trepana appellari; sive sint rasoria, ut sunt scalpra & raspatoria: sive os terentia, sicut est terebrum vel terebellum: sive incisoria, ut est scalprum vel scalpellus, & forceps, & incidens quod tenalia dicitur à vulgaribus, & serra parva incidens, & instrumentum lenticulare, vel colophysos Galeni & similia.

Sunt etiam ad alia instrumenta capiti necessaria ad elevanda ossa, (quorum etiam nomina & formas ponemus,) quæ propria habent nomina: scilicet instrumenta elevatoria quibus elevantur ossa depressa: quæ instrumenta sunt etiam diversarum formarum, sicut sunt & alia ferramenta, quia necessariò ad ossa elevanda requiruntur diversæ formæ propter diversitatem fracturarum & depressionum ossis.

Sunt autem omnium ferramentorum diversæ formæ propter diversitatem capitum & eorum partium: quia alicujus capitis os est grossius altero, & ita aliqua pars est grossior altera: Una enim forma ferri convenit uni depressioni vel fracturæ, & alteri non, & uni capiti alteri non.

Atque ideo medicus prudens semper habet parata instrumenta omnium formarum, & multa numero, ut possit ubicunque

opus

opus fuerit oſſa extrahere incidere, elevare, ferrare, rodere & terere, atque ita ubique conſequi finem laudabilem.

Sunt & alia inſtrumenta ad oſſa extrahenda, quale eſt forceps non incidens ſed tenaciter tenens qui ſerpentina appellatur à modernis quia in eo ſunt dentes parvi ſicut in ore ſerpentis; ſed horum omnium nomina dicemus ſive pingemus cum formis loco ſuo.

Sunt & alia multa inſtrumenta quorum nomina vel formas hic non ponam, quia iſta ſufficiunt: nam cætera committuntur prudentiæ medici, quia ſicut dicit Princeps prima primi, *minimum quod neceſſarium eſt medico eſt id quod poteſt dari inſcriptis.*

Non poſſum autem deſcribere omnes formas inſtrumentorum, quia interdum venit ad manus medici caſus nunquam viſus; & ita medicus tunc præparat novum inſtrumentum pro caſu illo. Et certè hoc pluries mihi evenit, & ſtatim feci fieri, imò ipſe manibus meis feci nova inſtrumenta illi fracturæ apta, quibus poſtea nunquam uſus ſum, qualiaque ante nunquam videram.

Sic igitur de quacunque ſpecie ferramentorum ſint plura numero ſcil. minima, parva, media, magna & maxima.

Ante


Ante omnia verò ſit medicus ingenioſus & boni judicii, quia tunc non deſunt inſtrumenta. Legitimi tamen medici habent vel habere debent ſcrinia plena prædictis inſtrumentis.

Sequuntur formæ ferramentorum.


Primum itaque inſtrumentum ſive ferramentum eſt illud quod primo loco vides, & *Vertibulum:* ſive *Verticulum* à medicitur, quia dum circumvertitur perforantur oſſa ſecundum formam ferramenti in eo poſiti. Habet enim foramen unum in infima parte, quod eſt commune omnibus iſtis inſtrumentis parvis quæ terebra appellantur: quia ſi unum ex prædictis non ſufficit ponitur aliud loco ejus, vel ejuſdem ſpeciei vel alterius, incipiendo ſemper à ſubtiliori & minori ad latius.


Primum autem hoc inſtrumentum appellatur receptaculum ſive mater aliorum ferramentorum: quia in ſe recipit & continet alia ferramenta ad trepanandum apta. In ſummitate ejus eſt quædam pila rotunda mobilis, ſuper qua tenetur leva operantis: & circa partem mediam prædicti ferramenti eſt quædam cannula mobilis, ut vertibulum melius circumduci poſſit. Ferramenta poſtea capiti affiguntur: atque ita perficitur opus.

Eſt aliud inſtrumentum artificioſe factum









ctum appellaturque *terebrum*, quod ponitur in foramine receptaculi antedicti. Est autem instrumentum cannulatum & rotundum, ut vides, in cujus extremitate est serra, qua mediante perforatur os. In ejus medio est aculeus, paululum extra serram exiens: & non est talis aculeus acutus ut acus, sed habet tria latera vel quatuor in cuspide in acutum tendentia, à quibus sicut à terebro roditur os; & talis aculeus proprie appellatur terebrum, & mediante isto aculeo serra figitur in osse facillime; & talis aculeus est taliter præparatus ut possit removeri ad libitum operantis, quia posset lædere siphac cerebri si fieret profundatio ipso non remoto.

Ideoque experti operatores vel removent illud cum jam penetrarunt medietatem cranii: vel habent aliud simile instrumentum sine aculeo, & sic perficiunt opus ad secundam superficiem cranii penetrantes. Porro si hoc instrumentum aculeatum sit dicitur *masculus*, si sine aculeo *fæmina*. Ulterius est hoc instrumentum spiculatum sive alatum, sicut hic videre potes, ejusque alæ sunt subtilissimè incidentes: & istæ alæ faciunt instrumentum esse tutum à præcipitatione supra cerebrum, pars enim acuta penetraret nisi pars lata prohiberet. Isto autem vel alio fere simili instru-


ſtrumento ſemper uſi ſunt Bononienſes; ſicut teſtatur Guido de Cauliaco. Et ſane, meo judicio, hoc inſtrumentum excedit omnia alia, ſi manu experti & diligentis medici dirigatur.


Sunt præterea octo aliæ ſpecies ferramentorum, hic ut vides, depictorum quæ itidem *terebra* appellantur, inque eodem receptaculo (hoc eſt, in primo inſtrumento) ponenda ſunt, prout videtur operanti. Formam cujuſlibet ſpeciei vides hic. Porro, ut prius dixi, de qualibet ſpecie ad minus ſunt habenda quinque inſtrumenta; ſcilicet minima, parva, media, magna, & maxima.

Sciat vero Chirurgus ex iſtis octo inſtrumentis non niſi quinque apta eſſe ad operandum, ubi eſt prius aliqua fiſſura in cranio, propter ipſorum formam rectam linearem. Nam ſi linea recta ferramenti eſſet in directo fracturæ præcipitaretur cum ſupra panniculos, & maxime fractura eſt figurâ lineæ rectæ. Quod ſi verò eſſet ſemicircularis vel circularis, inſtrumentum etiam aliquod ex prædictis poſſet adminiſtrari ſine periculo præcipitationis.


Eſt præterea hic aliud inſtrumentum, ut vides, etiam *trepanum* appellatum non tamen profundans uſque ad inferiorem oſſis ſuperficiem ſed prope.

Hoc



Hoc instrumentum, teste Haly dicitur terebellum estque parvi capitis, ne forte ejus caput matrem cerebri perforet. Quare ejus capitis longitudo sit quanta est ossis spissitudo.

De isto etiam ferramento loquitur Galenus lib. 6. Ingenii cap. 6. *Medici quidam* inquit, *propter suspicionem foraminis talia fecerunt instrumenta quæ non nisi solam ossis substantiam penetrant. Quapropter multa & diversa sunt facienda, sedum quantitatem grossitiei uniuscujusque partis ossis.*

Hoc etiam instrumentum ab Avicenna nominatur *trepanum & perforatorium non profundans.*

Ab Albucasi etiam dicitur *terebrum non profundans*, *quia*, sicut ille loquitur, *non pertransit terminum cranii ad illud quod post ipsum est:* (id est siphac) *propterea quod habet extremitatem rotundam & circulum parvum prohibentem terebrum submergi.* Et ita est instrumentum hic pictum. Credo quod hoc sit illud instrumentum de quo loquitur Albucasis & Avicenna, & Haly.

Præterea modum operandi cum eo dant Haly, Avicenna, & Albucasis: sed ego non auderem operari cum isto instrumento nisi coactus, mihi autem magis placent prima instrumenta & quædam alia ex infradicendis, sed hoc instrnmentum posui


ut monſtrarem ſaltem ferramenta quibus utebantur antiqui.

Laudat porro Galenus certum inſtrumentum colophiſos dictum, quod à modernis non reperitur: ſed credo quod ſit illa ſerra rotunda ſuperius poſita ſine alis, qua etiam nunc temporis multi utuntur ſatis bene, quamvis non habeat alas: eſt tamen ferramentum periculoſum, ſed ſi habet alas antedictas tutius eſt inſtrumentis cæteris prædictis.

Sunt præterea hic ut vides duo inſtrumenta quæ forcipes appellantur. Unum eſt ad incidendum oſſa, & dicitur *forceps incidens*, quo quidem inſtrumento valdè indiget operator. Et certè ſi eo ſciat medicus rectè uti brevi tempore perficiet omne opus oſſis amotionis, maxime ſi locum invenit ejus uſus, quia oportet ut prius huic inſtrumento ſit præſtita via, ut poſſit figi in loco in quo queritur opus.


Cæterum hujus inſtrumenti facit mentionem Avicenna in cap. de fractura cranii dum inquit: *ſi os fuerit debile ex natura ſua, aut ex fractura quæ accidit ei, tunc oportebit ut auferas ipſum cum inciſoriis, ponendo quædam inciſoria contra alia.* Iſta autem inciſoria certè ſunt forcipes ſive tenaliæ incidentes ſupra dictæ, quia in hiſce inſtrumentis unum inciſorium eſt contra aliud.











De isto ferramento etiam loquitur Haly, dum inquit: *si os subtile inveneris, incidas cum incisorio quod falci simile est, positis ipsis in opposito &c.*

Est alius forceps aptus ad capiendas & extrahendas sagittas, tela, spinas, ossa, & hujusmodi extranea in capite vel alibi fixa, *tenalia* sive *serpentina* appellatus.

Sequitur aliud instrumentum quod *elevatorium magnum* appellatur: quo utimur ad elevanda ossa depressa, cujus extremitas ponitur sub osse, & elevatur os quantum intendit operator.

Sequitur aliud ferramentum, quod dicitur *rostrum accipitris*, cum quo etiam elevantur ossa ubi opus est, ut hic vides.

Sunt etiam alia tria ferramenta *scalpra* dicta, ut hic vides, à modernis *raspatoria* appellantur, satis tuta ad operandum sed laboriosa præ cæteris instrumentis, maxime quando quæritur integra ossis perforatio: & quodlibet ipsorum appellatur *scalprum aduncum*. Sed scalprum interdum capitur pro novacula sive rasorio: interdum pro phlebotomo, vel quocunque ferramento carnem & membra mollia incidere apto.


Istis autem scalpris aduncis debent operatores uti in fissura capillari, tentando

an penetret; incipiendum autem eſt à lato ferramento, ut latius dicetur infrà. Inſtrumenta hæc ponuntur in manubrio oſſeo vel ferreo vel ligneo: pars ferramenti ingrediens manubrium eſt retorta ſicut cochlea, ut ſit firmior cum manubrio, ut vides in pictura appoſitâ.

Sunt ultra prædicta inſtrumenta alia quatuor, ut hic videbis, quorum unum eſt ad formam ſerræ, quæ à lateribus eſt aſpera rodens ultima, ut hic vides.

Alterum ferramentum dicitur Scalprum rectum, ſive Scalpellus, eſtque aliqualiter connexum & concavum in cuſpide, ut vides hic, quod inſtrumentum eſt præcipuum ubi oſſa ſunt petroſa, in quibus alia ferramenta non poſſunt adminiſtrari propter ſtrictum orificium vulneris, & maximè quando medicus non intendit integre os perforare. Hoc inſtrumentum percutitur malleo plumbeo hic inferius picto, ut vides.

Quartum inſtrumentum eſt *lenticulare* ſive *lentiticium*, à Galeno valdè laudatum inter alia inſtrumenta. Hoc etiam malleo plumbeo percutitur ut minorem inferat ſtrepitum, cujus gratia minus læditur cerebrum patientis. Habet hoc inſtrumentum in cuſpide portionem parvam ferri ſimilem grano lentis ne pungatur ſiphac cerebri;





rebri: & isto instrumento æquantur asperitates ossium capitis ne pungant panniculos, & inciduntur ossa si opus sit, maximè si prius sit in osse via & fissura qua mediante intra os possit poni tale ferramentum. Est autem hoc instrumentum descriptum ab Albucasi & Avicenna satis diffuse ex mente Galeni: Galenus tamen capitulo sexto lib. 6. Ingenii non dicit de tali instrumento ea quæ dicta sunt à prædictis autoribus quarè in primam sententiam devenio, scilicet nos non habere sextum librum de Ingenio sanitatis completum, sed esse mancum, sicut supra dixi, ad minus carere nos septimo capite ejusdem sexti libri.

Et sic cum Dei adjutorio finitæ sunt formæ ferramentorum nostrorum: qui vult majora & plura ad alios recurrat codices. Hoc solum repeto quod omnium specierum ferramentorum prædictorum sint diversæ magnitudinis ob rationes ante adductas.

Cap. XLII.

An ossiculi separatio lato vel stricto ferro ordienda sit.

VIsis nominibus & formis instrumentorum sive ferramentorum læsionibus prædictis convenientium, videndum est quibus utendum primo loco sit: maxime (sicut supra dictum est) cum reperiantur qui prius utuntur stricto & subtili deinde lato ferramento.

Inter eos & Albucasis est qui dicit: *ablatio ossis fit uno duorum modorum; & modus quidem unus est ut incidas os cum incisorio strictæ aciei, deinde administres incisorium aliud latius & post incisorium secundum aliud eo latius. Sit autem diversorum medio copia incisoriorum quorum alia aliis sunt latiora &c.*

Inquit etiam: *sint illa in ultimo acuitatis, & ex ferro Indo, & fiant cum facilitate ne commoveatur caput* (id est cerebrum) *&c. Modus autem secundus est; si os est forte & durum tunc oportet ut perfores in circuitu ejus, antequam tu administres incisoria, cum terebris, quæ nominantur terebra non profundantia. Porro ita nominantur quia non*

non pertranseunt terminum ossis cranii ad illud quod est post ipsum, propterea quod terebro super illud quod est sub capite ejus acuto similis margini est parvus circulus, prohibens submergi & pertransire spissitudinem ossis. Et convenit tibi ut accipias ex istis terebris numerum multum, quorum unumquodque conveniat quantitati spissitudinis ossis, donec præsens sit terebrum, cujus extremitas acuta & quantitas in longitudine & brevitate sit secundum quantitatem spissitudinis illius cranii &c.

Oppositum tenet Avicenna, scilicet quod lato ferramento prius sit incipiendum & deinceps ad strictum deveniendum, nam in capitulo de fractura cranii inquit: *sint apud te fricatoria diversarum quantitatum, administra porro primum lata, deinde quæ sequuntur ilia:* scilicet stricta. Ibidem etiam inferius paulo dicit: *si os fuerit debile ex natura sua aut ex fractura quæ accidit ei, tunc oportebit ut auferas ipsum cum incisoriis, ponendo quædam contra alia: incipiendo autem ab eo quod ex eis est latius fiat permutatio ex iis ad incisoria subtilia, deinde pervenias ad capillaria, sive ad subtilissima vel strictissima &c.*

Nicolus etiam dicit ad literam, quod modus illorum qui incipiunt cum strictori instrumento sit abjectus etiam in fissura

capillari & ſtricta. In favorem ſuum adducit autoritatem Albucaſis talem: *oportet ut adminiſtres in abraſione tua, quia in primis radis os, latius illorum raſoriorum, deinde utere poſt ipſum ſubtiliore & non ceſſes facere illud ſecundum continuitatem, donec pervenias ad adminiſtrandum tenuiſſimum & ſubtiliſſimum eorum omnium.*

Præter etiam auctoritatem Albucaſis dicit Nicolus, quod ratio propter quam debemus incipere à lato inſtrumento ſit iſta: quia orificium ſuperius debet eſſe latius profundo propter periculum putredinis, quia melius expurgatur virulentia ſi orificium latum ſit, melius etiam in eo ponuntur medicinæ & lychnia ſive tentæ.

Adducit etiam autoritatem Galeni ſexto ingenii capitulo ſexto dicentis: *oportet incipias cum lato inſtrumento* (id eſt à latiori & majori) *donec ad ſubtilem* (id eſt, ad minimum) *pervenias &c.*

In favorem ſuum adducit etiam Nicolus auctoritatem Avicennæ à nobis paulo ante poſitam, omnino inferens & pro concluſione ponens lato inſtrumento eſſe incipiendum.

Sed adverte lector; Albucaſis & Avicenna & Galenus optime ſentiunt cum dicunt lato inſtrumento incipiendum eſſe, optime etiam ſentit Albucaſis cum dicit

quod

quod ſtricto incipiendum ſit. Sed Nicolus male expertus in operatione manus non diſtinxit modum, quando ſit procedendum cum lato, quando cum ſtricto inſtrumento, ideoque dixit ſolum lato eſſe incipiendum. Ne ergo hoc noſtrum opus legentes confuſi & involuti remaneant, dicendum eſt in quo caſu prius lata, & in quo caſu prius ſtricta inſtrumenta conveniant ad operandum.

Propterea dico quod lato inſtrumento ſit incipiendum operari in fractura cranii, quando fractura non penetrat interiorem ſuperficiem ſive tabulam cranii, tunc enim medicus cura tentativa magis procedit quam vera cura, intendit tunc cum talibus inſtrumentis ad totum penetrare os. Ideo lato inſtrumento incipit, quærens ſolum rimulam capillarem detegere & videre an penetret, prius in ea poſito atramento vel alia humiditate nigra; cum & non penetrat quærit talem fiſſuram ampliare in ſuperficie, ne ærugo in ea retineatur, & cauſet aliquod malum accidens.

Quod hoc ſit verum expreſſe ponit & Galenus & Albucaſis. Galeni verba hæc ſunt. *Fiſſura autem quæ penetrat uſque ad locum qui inter utraſque partes cranii eſt ſubtilibus quidem opus habet, diverſa tamen*

adſint inſtrumenta, ut primum incipias à lato, deinde a minus lato, donec ad ſubtile de neceſſitate pervenias.

Albucaſis inquit: *ſi fractura oſſis non penetret uſque ad panniculum & in illud quod abſcinditur ab oſſe eſt facies ejus, & remanent in ipſo aſperitas & ſatagiæ ſubtiles, tunc oportet ut radas illam aſperitatem & eradices illas ſatagias cum raſoriis ſubtilibus: quorum copiam diverſarum quantitatum præparaſti, ut ſit tibi poſſibile adminiſtrare ex eis in omni loco & hora illud quod maxime eſt conveniens & rectum, ſecundum illud ad quod perducit te operatio, & ipſum os fractum, & figura ejus. Et oportet ut adminiſtres in raſione tua, qua primum radis os, latius illorum raſoriorum, deinde utaris poſt ipſum ſubtiliore &c.*

Ultra prædictas auctoritates quæ de facto præſupponunt incipiendum eſſe à lato ferramento ubi fractura non penetrat, eſt iſta ratio: quod cum lato inſtrumento operantes ſemper vident ad quem terminum intra cranium debeant profundare ferramenta, quod non viderent ſi uterentur prius ſubtili & anguſto inſtrumento.

In fiſſura autem ad intra penetrante ſufficit medico habere inſtrumenta apta ad penetrandum totum cranium, cum non niſi os removere intendat, & ſemper panni-

niculus ſit ſeparatus à cranio quando medicus trepanationem intendit, (ſicut monſtratum eſt ſuperius) ſive oſſa pungant, ſive gravent, ſive ſanies ſit defluxa, quæ omnia panniculum ſeparant. Tunc an medicus utatur inſtrumento ſubtili ante latum non refert, quia menſuravit jam groſſitiem loci cranii perforandi ad ferramentum, & ſic non dubitat de panniculo. Sed ubi os non eſt fractum niſi fiſſura ſtricta medicus metuit ne penetret & panniculum lædat, ideoque vult ante ſe habere viam latam ne incurrat aliquem errorem, & maximè cum talis operatio fiat & fieri debeat ante tempus ſeparationis panniculi, ne ſanies per rimam illam deſcendat & per cranii poros penetret & panniculum ſeparet: quia alia de cauſa non fit operatio in oſſe fiſſura non penetrante, niſi ut ſanies, ibi in rima aggregata vel aggregari apta, non deſcendat vel os corrumpat.

Eſt & alia fortior ratio quare medicus debeat uti inſtrumento anguſto & ſubtili prius, dum intendit facere integram perforationem & oſſis amotionem uſque ad interius, hæc videlicet: medicus poſſet incurrere periculum de morte ægri prius operando cum lato inſtrumento: nam cum inſtrumentum habet viam latam ante

ſe, facilè poteſt penetrare introrſum & præcipitare & cadere ſupra cerebrum, quia non habet à quo ſuſtineatur niſi à manu medici, quæ ſuſtentatio fallax eſt.

Ideo ab anguſto prius eſt incipiendum, cum volumus totum os penetrare: & ſic intellexit Albucaſis quando dixit, prius à ſubtili incipiendum eſſe.

Porro quod hoc ſit verum tu jam probaſti excelſe Dux in capite tuo: quia quidam noſter ſocius operari avidus prius incepit cum mediocri quodam inſtrumento, deinde uſurpavit ſtrictum & ſubtile ferramentum, & tandem ferramentum violenter intruſit ſub cranium tuum; quamquam verò illæſus evaſeris non tamen non fuiſti in aliquo periculo.

Sic ergo caveant operantes ab inſtrumento lato incipientes, dum intra cranium volunt penetrare cum inſtrumentis.

Quod autem potius incipiendum ſit à ſubtili quam à lato ferramento dum totum os intendimus penetrare, patet experientia in omni alio artificio mechanico, ſive quis operetur in ligno ſive in lapide vel in alio corpore ſolido: ſemper enim artifices utuntur terebro ſubtili & parvo prius, deinde lato, & deinde latiori, quia etiam ſic operando melius & citius perficiunt quicquid intendunt.

Ex prænarratis ergo videtur, Albucasin Galenum & Avicennam bene sensisse & optime dixisse: monstratum enim est quòd sint aliqui casus in quibus prius lato, & aliqui in quibus prius angusto & subtili ferramento incipiendum est.

Credo etiam quòd sit incipiendum modò cum subtili, modò cum lato, secundum varias species ferramentorum: quia si fit operatio cum scalpro (id est raspatorio) prius incipiendum est lato, si verò cum terebro & forcipe prius est incipiendum ab angusto & stricto, sive integrè perforetur os cum scalpro & terebro sive non.

Sæpe tamen contigit ut uno solo ferramento absque permutatione lati & stricti fiat ossis apertio & amotio, imò ipse pluries vidi unicum ferramentum sufficere.

CAP. XLIII.

Repetitio eorum quæ hactenus dicta & cura primis observanda sunt.

Sed antequam ad opus particulare ferramentum deveniam, dignum putavi hic in quodam catalogo fere omnia à me longo sermone in toto opere ante dicta perstrin-

ſtringere, ut legentes facilius intelligant quid agendum & quomodo agendum & quando agendum ſit. Nam etiam decies repetita placere ſolent, & ut inquit Seneca, *nunquam bene dicitur, quod ſatis non dicitur.* Galenus etiam lib. 1. de Criſi cap. 8. inquit: *Res quæ juvamentum præbet oportet ut iteretur multotiens, & incitetur.* In Megategni quoque dicitur: *geminata diſputatio juvat, quia facilius memoriæ mandatur.*

Notandum eſt igitur, in vulneribus capitis notabilibus ſervandas eſſe intentiones ſive canones omnes tam quia nobis dicti quàm qui dicendi ſunt.

Fiat phlebotomia, ventoſatio, ſanguiſugarum applicatio, & fricatio fortis partis contrariæ.

Ventris ſolutio ſit cum pharmaco convenienti vel clyſtere vel ſuppoſitorio.

Obſervetur totum regimen ſex rerum non naturalium.

Extrahantur extranea ſine ægri moleſtia.

Sanguis conſtringatur appropriatis & neceſſariis, & prohibeatur ebullitio ſanguinis choleram evacuando & refrenando.

Præſerventur ægri ab accidentibus, & ſi jam adſint illa corrigantur, habendo recurſum ad fidelem & peritum Phyſicum.

Quam

Quam primum poteſt fieri cutis inciſio triangulari vel quadrangulari forma, fiat in decliviori loco, & cum ovo & pulveribus ſanguinem conſtringentibus, vel alia re, dimittantur labia vulneris ſic plena ad minus per diem, ut deinde prædicta labia magis aperta & minus doloroſa ſint.

Fiat ante omnia prognoſticum de periculo, ut evitentur ſermones ſtolidorum; periculum autem tale ponitur teſte Guidone autoritate Rugerii, uſque ad viginti dies, ſecundum JCtos ad quadraginta ſex: quia tune eſt ultimum acutarum: & ſecundum Quatuor Magiſtros ad quindecim.

Præcipiatur ægro in prima viſitatione ut confiteatur Deo delicta ſua, juxta illud in Decretali, capitulo de pænitentiis & remiſſionibus: *cum infirmitas multotiens ob peccata contingat prius vocentur medici animarum: quia ſic faciendo evitatur excommunicatio, & melius etiam & citius ſanantur ægri multis de cauſis.*

Non fiat oſſis amotio ſtante virtute proſtrata, nec niſi urgente neceſſitate ante dicta: ſed quanto citius tanto melius.

Aer ſemper ſit calidus etiam in æſtate, magis & minus tamen ſecundum conditiones antedictas.

Commiſſuræ relinquantur intactæ in ope-

operando, nisi siphac sit separatum, in quo tunc tute potest fieri operatio.

Talis operatio fiat in decliviori loco: quia est facilior ad expurgandum.

In dilatando non consequatur finis fissurarum, sufficit enim auferre tantum de osse, ut sanies possit expurgari. Aperiatur tamen tota fissura fricatione levi, ita ut in ea non retineatur ærugo, & lavetur, & mundetur aliquo invento ne ibi fiat corruptio & saniei ad intra penetratio.

Quam citissimè absolvat medicus operationem, ne dum actu operatur debilitetur æger.

Eligatur bonus operator qui alios sæpe viderit operari, quique sit manibus expeditus, & boni visus, & tandem legitimus medicus.

Inter operandum claudantur aures ægri cotone, vel lana, ne lædatur ex strepitu ferramentorum.

Ferramenta sint plura numero & diversarum formarum.

In opere adsint semper aliqui ministri, ad minus duo, cum medico, ut juvent pro necessitate adveniente. Hi teneant ægrum ne moveatur motu tali ut fiat impedimentum in cura.

Quod si sutura facienda est nunquam fiat stante læsione in suprema capitis parte.

Sive

Sive fiat futura five non in fuprema capitis parte, femper habeatur bona cura & diligentia ne ibidem retineatur fanies, quia poteft offa & panniculos corrumpere, ideoque in tali cafu ægri fituentur ita ut caput fit depreffum, ne fanies retineatur.

In prædicto cafu vulnera fæpe medicentur, & optime femper à forde mundentur.

Oleum rofatum & aliæ medicinæ doloris fedativæ adminiftrentur in principio folum, neque tranfeat quarta vel feptima vel certè decima dies: deinde adminiftrentur medicinæ ficcæ, ut fupra dictum eft.

Oleum rofatum fit omphacinum, & anno illo confectum, quia aliter eft malum.

A principio medicina fit repercuffiva, leviter tamen ne ab extra ad intra repercutiatur materia.

Medicinæ multum ftipticæ non laudantur, nec opilativæ propter eandem caufam: ab eis enim concultantur materiæ, & redduntur inobedientes arti & naturæ; fed circumcirca fufficit oleum rofatum & myrtinum tantum, & maximè in contufione.

Non fit medicina mordicativa, nec dolorem inferens: quòd fi eft talis, neceffario fit levis, quantum fieri poteft.

Mu-

Mutetur vulnus semel, bis, ter, & pluries secundum qualitatem & quantitatem saniei, & secundum locum in quo est, & secundum accidentia ab ea causata.

Super lychnia ponatur frustulum spongiæ, ut sugatur melius sanies à fundo vulneris.

Stante magna ossis amotione, ne ligatura & tentæ comprimant & gravent siphac, ponatur in medietate super primo lychnio, vel super syndone posito (ut supra dictum est) super panniculo, frustulum cucurbitæ siccæ, vel alterius rei levis majoris quantitatis, amoto tamen parum cranio.

Ligatura sit levis non gravans, maxime usquequo totum vulnus sit carne repletum.

A principio talis ligatura sit tantum retentiva, in fine vero sit incarnativa & expressiva, qualis potest.

Quod si ossa sunt alterata ab aëre, vel à medicina, vel à sanie, vel ab omnibus his, de duobus alterum fiat: vel expectetur ut ossa emittant squammam superficialem alteratam, cujus squammationis tempus est generatio pori orosboth; qui non fit ita fortis in cranio sicut in aliis ossibus, sed ut ego vidi, pluries in capite loco ossis de-

deperditi generatur quædam substantia ligamentalis, similis duræ matri, cui substantiæ fortissimè alligatur ipsa dura mater. Hoc vidi anatomizando aliqua capita quæ prius curaveram cum notabili ossis amotione. Verum tempus illud communiter, si ossa sunt leviter & superficialiter alterata, est triginta quinque dierum vel circa.

Sed si ossa sint alterata secundum profundum, sicut etiam sæpe contingit, tardius fit squammæ emissio, & magis minusvè tardè secundum complexionem, & virtutem, & ætatem, & anni tempus: quia interdum durant ultra annum, nisi cauterio vel medicina juventur, cujus tarditatis sunt multæ causæ.

Si superficialiter ossa sunt alterata, Medicus ad minus singulis diebus aliquo raspatorio debet fricare ossa, & illa bene mundare ab alteratione, incipiendo transacta suspitione de apostemate; nam sic faciendo citius ossa carne teguntur, & replentur vulnera, & nullam squammam emittunt: fricatio enim ipsa mundat ossa & trahit nutrimentum ad locum atque ita citius perficitur cura. Et sic semper ego procedo, maximé si via sit lata, qua mediante possim uti ferramentis.

Volo etiam juvenes hujus artis unum

ſcire, ſcilicet quod dura mater detecta ſemper carne tegitur, & tanta caro interdum ſuper ea oritur ut aliqui credant ipſam pati apoſtema, & in cura utantur emplaſtris ex altera fenugræco, & ſemine lini, & pinguedine gallinæ, & ſimilibus: ſed tunc magis creſcit prædicta caro mollis, & elevata interdum ad modum fungi: ab illo autem medicamine & ab illa carne ita multiplicatur ſanies, ut inde ſequantur aliqua mala accidentia. Videant igitur prius operantes ſigna apoſtematis ſiphac, & judicent an ſit panniculus apoſtematus, an caro ſuperaddita, & cura adhibeatur congrua.

Cura enim carnis ſuperfluæ eſt ipſam exiccare cum hermodactylis, & alumine, vel zucarino vel rochæ uſto, vel cum unguento Apoſtolorum, vel cum cucurbita aut ſpongia aduſta, & cum ſimilibus, in quibus nulla eſt venenoſitas nec malitia. De cura vero apoſtematis habeatur recurſus ad ea quæ dicta ſunt ſupra de ejus cura. Interdum enim apoſtematur panniculus, & exit cranium ſicut alſuturati (id eſt ſicut fungus) ut inquit Avicenna prima tertii cap. de plaga capitis.

CAP. XLIV.

De usu instrumentorum chirurgicorum in genere, & particulatim in capillari cranii fractura.

AD opus particulare ferramentorum in quacunque specie læsionum capitis jam deveniendum est, à qua operatione caveant illi qui legitimi medici non sunt. Nemo hercle deberet ad hoc opus ferramentorum devenire, nisi sit valde exercitatus in hac arte, quique non viderit sæpius talia operari ab aliquo perito medico.

Sed, ut inquit Avenzoar. lib. 1. Theizirt. 2. suo tempore (& forte nostro) pauci reperiuntur qui sciant operari in fracturis capitis cum ferramentis ratione & experientia. Ibidem etiam inquit, quòd ad tale opus sit inveniendus homo, qui habeat intellectum & consuetudinem, & qui ex natura sua & complexione habilis sit huic arti, & qui expertus sit in ea tempore longo: quoniam non debet recipi aliquis ad hoc exercendum nisi longo tempore fuerit discipulus magistri optimè perfecti, & ipse per semet longo tempore fuerit practicatus.

Debet etiam esse talis operator in anatomia capitis instructus, ut sciat grossiciem & duriciem partium cranii, & cognoscat loca à quibus exeunt nervi, venæ, & alia omnia in capite contenta. Sed ad rem.

Prima species fracturarum cranii est quæ *rhagamia darcam & capillaris* dicitur: quæ quamvis interdum totum non penetret cranium, metum tamen maximum infert medico de penetratione & de malis accidentibus futuris: estque species hæc etiam non penetrans periculosa, si non curetur uti decet. Porro hæc species veriori nomine posset denominari *fractura dubia*: fit autem à contusione.

Hujus fracturæ per ferramenta cura hæc est. Hora prima læsionis, sicut ante dictum est, nisi aliquid impediat, abraso prius capite oportet fissuras facere duas, sese incidentes rectis angulis in modum crucis, quarum una sit secundum longitudinem fissuræ quæ à percussione facta est: dehinc quatuor excoriabis angulos ut ita totum denudetur os quod perforare desideras. Ut autem sanguinis fluxus inhibeatur, implebis fissuram hanc panno aceto infuso, & aqua aut panno sicco: & sic fascias appones vino & oleo olivæ vel rosato infusas ligationemque adhibebis com-

pe-

petentem. Mane facto si malorum nihil acciderit accidentium, hoc opus impedientium, cavare os oportebit fractum.

Atque hic modus est Pauli, Haly, Avicennæ & aliquorum aliorum antiquorum; non quod ipsi ponant prima hora aut primo die hoc agendum non esse nisi in casibus ab eis antedictis: sed, ut ego supra dixi, si necessitas cogat tale opus in prima hora propter rationes à me adductas, vel si non fiat prima hora ut quam citissimè fiat.

Advertant tamen operantes, quòd si metus esset de adventu apostematis propter fricationem cum ferramentis, aut quia corpus esset cacochymum, si item esset dubium de aliquo sanguinis fluxu propter operationem talem, vel si esset ebullitio in capite & in humoribus totius corporis dependens immediate ab alia causa quam à vulnere capitis: tunc melius esset expectare donec transiret tempus suspicionis apostematis, ad tale opus perficiendum. Sed hæc committo, ut multoties supra dictum est, prudenti & legitimo medico.

Recentiores tamen medici non semper orthogonalem faciunt fissuram, sed sæpe eis sufficit triangularis forma: nec utuntur aceto & aqua, (sicut nec ego auderem aceto uti in vulneribus capitis, propter ea

dixi de aceto supra) sed utuntur ovo & pulveribus sanguinem constringentibus.

Cæterum post hæc, si accidentia aliqua non impediant, mane ad ferramenta deveniendum est: hora enim illa convenientior est cæteris. Prius itaque aures lanâ, cotone, vel alia re oppilentur, ne forte ferramentorum strepitus qui in ossis fit apertione, illi noceant. Deinde soluto vulnere eoque absterso, duobus ministris impera ut labia vulneris aliquo panno, vel alio ingenio elevent & aperta teneant. Deinde capiat operans aliquod ex prædictis ferramentis supra positis, quæ scalpra appellantur, barbaro tamen nomine raspatoria dicta sunt. Et secundum longitudinem rimæ fiat abrasio: à lato tamen ferramento incipiendo, & humiditate nigra prius posita in rimâ ut videri possit abradendo an fractura penetret, quia si rima totum cranium non penetrat, à ferramento removetur omne humiditatis nigræ vestigium in rima prius visum.

Hæc autem rima si reperiatur non penetrare, curetur medicamento Galeni qui l. 6. Ingenii in tali præcise casu ossis facta abrasione docet curam fieri debere cum pulvere ireos, farina orobi, thure, aristolochia, & omni medicina quæ sine dolore est mundificativa.

Et

Et hic modus curandi ante dictus est præ cæteris eligendus, dato etiam quod medicus esset certus fracturam non penetrare: quia sæpe in fissura tali retinetur ærugo, & maxime si illa sit in summitate capitis nam non expurgantur talia vulnera sicut lateralia) quæ ærugo potest lædere siphac. Ideoque medici in tali fissura sunt multum cauti, ordinando situm talem ut sanies in labiis retineri non possit, aut vel per rimam per poros cranii descendere introrsum & corrumpere cerebrum. Hinc raspatoriis quam citissimè removent rimam, deinde exiccant & carne replent, & tandem consolidant, adhibendo rationabilem diætam & potionem, prout supra dictum est esse faciendum circa universalia.

Porro in prædicta specie læsionis non expectantur accidentia separationis siphac: sed præcavetur non solum ærugo lædat panniculum, descendendo per poros ossis; sanantur tamen tales ægritudines etiam sæpe sine tali opere adhibita solerti cura. Tutior autem est prima via, neque enim in ea est metus de læsione panniculorum per ferramenta; immo ab eis est incipiendum ordine jam dicto, & post ad medicinas debitas deveniendum: & sic sequitur laudabilis finis.

Notent præterea medici, quod non semper manifestatur hæc rima ab humiditate nigra, quia interdum est fissura ita stricta ut eam nihil ingredi possit. Vidi hoc ego experientia, quia posui super ossa de tali nigredine, & non remansit aliquod vestigium nigrum, deinde aliquo post tempore natura emisit squammam satis notabilem prædicti ossis, in qua squamma apparebat fissura notabilis. Contingit autem hoc, quia vivente adhuc osse est illud ubique humiditate plenum, quæ humiditas impedit extranea ingredi talem fissuram, cum autem os exiccatur tunc apparent fissuræ in eo si quæ adsint.

Si autem dum tentativè sic operatur reperiatur rimam intra cranium penetrare, nullo pacto audeat medicus ad intrinsecam partem cum instrumentis devenire, nisi prius adsint signa separationis panniculi, quia posset quocunque ferramento lædi siphac; Sed procedatur in cura cum medicinis dolorem sedantibus, & exiccantibus, prout requirit ægritudinis tempus & dispositio, quia sæpissime sic procedendo sine aliquâ ferramentorum operatione sanantur ægri.

Si autem accidentia cogant medicum os aperire & amovere usque ad siphac, ad alia ferramenta est deveniendum,

quam-

quamvis etiam raſpatoria prædicta apta ſint totum os penetrare, & multi iis ſolis utantur, alia enim ferramenta minus impediunt ægros & operantes, quia breviſſimo tempore iis oſſa perforantur, ſcalpro autem ſive raſpatorio perforantur oſſa longo labore & tempore: ideo ad alia ferramenta (ſcilicet ad terebras p:ænarratas) eſt deveniendum, quæ multarum ſunt formarum.

Eligatur autem ea forma à medico quæ magis iſti ſpeciei læſionis videtur convenire: Ego uterer in tali ſpecie vel ferramento illo ad formam limæ rotundo, vel ſerrâ illâ rotundâ cannulatâ cum alis incidentibus, quorum ferramentorum formas ſuperius vidiſti. Seponenda vero omnino ſunt illa ferramenta ſuperius monſtrata, quæ propter ſuam formam rectam ſecundum longitudinem rimæ ſunt apta præcipitari intra cranium, ſi rima eſt rectæ lineæ; ſi autem rima eſt obliqua omnes terebræ prædictæ conveniunt, prout videtur operanti, quia uni medico placet unum ferramentum & aliud alteri.

Mihi præ cæteris placet ſerra illa cum aculeo: quæ poſita in vertibulo ſive in receptaculo antedicto, figitur in loco expurgationi magis apto, & ſic revolvendo ferramenta prædicta perforatur os.

Prius tamen utendum instrumento angustiore & strictiore, deinde vel magis vel minus lato, prout requiritur via ad expurgationem virulentæ materiæ contentæ infra cranium. Dimittatur aculeus prædictæ serræ usquequo perforatæ sint duæ partes spissitudinis cranii vel circa: deinde removeatur aculeus à ferramento ne ab eo siphac pungatur. Nam iste aculeus est ita positus in serra ut ad libitum operantis removeri possit. Vel alia capiatur serra sine aculeo æqualis cum prima magnitudinis, & perforetur totum cranium usque ad siphac. Atque ita securè, & brevi tempore, & sine magno motu capitis ægri perficitur opus.

Quod si contingeret ut dum isto instrumento vel alio aliquo operamur, post ossis amotionem remanerent aliquæ asperitates, squirlæ sive satagiæ, aptæ pungere siphac: removeantur illæ cum forcipe incidente, vel aliquo alio ingenio, maxime cum lenticulari Galeni & malleo plumbeo, ponendo extremitatem illius ferri lenti similem versus siphac, & partem ejus incidentem versus os amovendum, & malleo plumbeo percutiendo usquequo amoveantur squirlæ & asperitates prædictæ.

Perfecto denique ferramentorum opere

ab-

abstergitur sanguis & sanies: deinde oleo rosato vel melle rosato (puris vel mixtis, prout indicat dispositio) procedatur, lychniis debitis vulnus replendo: ponatur etiam aliquid syndonis inter os & panniculum, intincti in medicamento quod judicatur conveniens, usque ad repletionem carnis.

Sunt qui in tali loco ossis amoti ponunt frustulum cucurbitæ siccæ supra syndonem prædictum, ne tentæ gravent siphac: quem modum nec vitupero nec laudo, nam & ipse interdum eo usus sum & sine eo etiam sæpius processi, non minus bono successit. Uno in casu solum ego laudo applicationem talis cucurbitæ quando scilicet magna pars cranii amota est, & metuimus ne ligatura & tentæ gravent siphac. Sane credo eam tunc multum convenire: quia prohibet apostematis per gravamen tentarum adventum.

Cæterum super talibus lychniis sive tentis, & syndone antedicto pono unguentum meum capitale, & mel oleumque, rosatum, prout requirit dispositio.

Semper tamen per septem vel octo vel decem dies post tale opus, inungo caput oleo omphacino: sive fiat tale opus in primis diebus, sive cum est sanies sub osse: quia ex ossis cum ferramentis amotione agitantur humores & currunt ad locum læ-

sum,

ſum, oleum autem omphacinum reſiſtit iis, caput confortando & ſua ſtipticitate humores repellendo.

Porro non tantum humoribus motis reſiſto localibus medicinis, ſed etiam diæta & regimine debito, & medicamentis, ſicut ſupra oſtenſum eſt.

Quod ſupereſt curationis perficio ſyringationibus, & lotionibus, & pulveribus antedictis: & tandem conſolidativis & cicatrizativis utor medicinis.

Cap. XLV.

Uſus inſtrumentorum chirurgicorum in reliquis fracturarum cranii ſpeciebus.

EAdem cura eſt adhibenda in illa ſpecie quæ *aberia* dicitur ſive *angin*: quæ eſt remotio primæ ſuperficiei oſſis: in qua ſpecie ſi contingat duram matrem ſeparari (ut ſupra dictum eſt quando de iſta ſpecie locuti ſumus: ubi de ſignis ſeparationis panniculi dictum eſt, iſtam ſpeciem eſſe verendam; & ſane etiam hæc ſpecies eſt magis verenda cum eſt in ſummitate capitis, propter ſaniem ibidem magis aptam ad intra deſcendere, propter ſitum) neceſ-

cesse est statim visis accidentibus ad os aperiendum devenire. Cæterum prænarratus modus ossis perforandi qui instituitur cum terebris, præ cæteris etiam huic speciei convenit. Inciso & remoto osse procedatur immediate ad saniei exiccationem, & curæ suprapositæ residuum.

ISte etiam modus suprapositus prædictæ curæ convenit illi speciei quæ dicta est *marusis sive monesis*: in qua introrsum cerebrum versus os est ruptum, non autem extra. Cura est facienda instantibus accidentibus, vel de sanie, vel de punctura, vel de gravamine ossis ad panniculum. Perpendant porro diligenter medici locum ubi fieri debet ossis perforatio, ne illa instituatur supra os pungens, quia ab instrumento introrsum magis os comprimeretur, & majorem faceret puncturam. Idcirco in operando ponatur perforatorium in confinibus læsionis, capiendo multum de parte sana ne os gravans vel pungens comprimatur. Ita enim bene succedet opus, quod tamen non nisi per expertum in hac arte quique boni fuerit judicii, faciendum est. Deinde cura fiat antedicta.

Convenit hic etiam curæ modus illi speciei quæ *hesena* dicitur: in qua specie os

os est plicatum ad intra; maximè si accidentia cogant medicum ad hoc opus, quia alias sæpe vidi tales plicaturas sine accidentibus malis per emplastra sanari, & quidem potissimum meo ceroto humano, & ceroto betonicæ antedicto, maxime in corpore molli, in quo os ad pristinum rediit locum. Vidi etiam in quibus os remansit semper depressum; & nullum secutum fuit nocumentum. Quod si tamen accidentia superveniant prius perforandum est os terebro aliquo circa locum sanum, propè compressionem ossis. Fiat autem tale foramen ut possit sub osse poni aliquod ferramentum elevatorium. Et tandem elevetur os.

Quod si contingat totum os depressum esse separatum à matre dura, idem etiam ab almocati totaliter removeatur; si autem ambobus vel alteri eorum firmiter sit alligatum, ad locum suum elevetur, quia fortè ibidem consolidabitur, & maximè quidem si sit frustum notabilis magnitudidinis: nam ut superius dixi, os trahit vitam à panniculis mediantibus arteriis & venis: sed si est parvum os, omninò removeatur propter rationem cuivis perito notam. Hoc peracto, sive os removeatur sive non, cura localis sit illa quæ ante dicta est.

Hæc

HÆc eadem cura cum terebellis antedicta convenit etiam illi speciei in qua rumpitur aliqua vena in panniculo duro, cranio tamen non fracto. Quam apertionem fieri debere monstrant accidentia evenire solita in separatione panniculi à cranio. Locum autem talis perforationis faciendæ committo legitimo medico, quia possibilis est talis cura maxime si vena rupta sit infra cranium & siphac, & medicus loco convenienti ad expurgationem & exiccationem faciendam os perforet.

Quando vero vena est rupta inter duram & piam matrem, dura matre non existente perforata è regione apertionis sive perforationis ossis: cura est impossibilis, nisi à natura forti ad nates vel ad alia loca transmittatur materia. Ab ista tamen specie pauci iique rarissimi evadunt, quorum eadem sit curandi ratio, cum potione & diæta quæ antedicta est. Porro hanc speciem bene perpendant operatores.

PRædictus etiam curæ modus cum terebris, convenit illi speciei læsionis, in qua panniculus contunditur ab ossibus inter commissuras. Itaque si contingat ut medicus cognoscat talem speciem ex aliquo tumore in loco commissurarum facto, vel alio aliquo signo, si adsint prava symptoma-

mata, audacter ſuper commiſſuras aperiat: facta verò apertura, ſi videat quòd os ſit ibidem denudatum & in colore mutatum, eo loco os perforet, quia panniculus jam eſt ſeparatus: deinde reſiduum curæ adhibeatur. Certè ſi datur & reperitur via, ſalutis huic ſpeciei, iſta ſola via, aperitio ſcilicet oſſis, eſt illa, quâ mediante ſanari poteſt.

Eodem modo dico, quod ſi contingat os perforari in quacunque alia ſpecie, ſi ſeparatio adſit panniculli à cranio è regione commiſſurarum, tute poſſe fieri ibidem oſſis amotionem & perforationem. Equidem talem operationem ego pluries feci, & mihi bene ſucceſſit. Neque vero aliquam ego ponerem differentiam in loco commiſſurarum & aliis locis quoad operationem, dummodo per ſigna cognoſcam duram matrem eſſe à cranio ſeparatam.

Nec eſt tam grande periculum in commiſſuris operari, ſicut aliqui dicunt; videmus enim cauteria fieri in commiſſuris, quæ omnino attingunt ad primum panniculum ſupra os, cui panniculo alligatur dura mater: & tamen nullum ſequitur nocumentum. Sane quod ſi poſſet fieri apertio alibi quàm in commiſſuris, ibi omnino inſtituenda eſt, quia in commiſſuris du-

dura mater alligatur almocati ſenſibilius quam alibi, ſicuti ſupra à nobis monſtratum eſt. Cæterum in medicamentorum uſu idem ordo ſervetur qui ſupra poſitus eſt.

CUra autem illius ſpeciei, quæ dicitur *apoſtatiſmos* ſive *cutomatos* vel *aſcialis*, eſtque illa in qua totum os eſt remotum uſque ad panniculos, eſt iſta. Debet medicus videre an præter os amotum ſit adhuc aliud amovendum: quia interdum, & ferè ſemper, maximè in corpore ſicco, quamvis os incidatur enſe, gladio, vel ſimili re, ſcinditur etiam in partes diverſas, quarum aliquæ ſunt pungentes & aſperæ, & remotione indigent. Et tunc quidem forcipe incidente, vel lenticulari Galeni os eſt applanandum. Quia etiam in tali ſpecie, quamvis os uſque ad ſiphac ſit remotum, foramen illud non eſt ſufficiens ſaniem intra contentam expurgare, ideo foramen illud eſt ampliandum vel forcipe, vel ſerra oblonga, vel lenticulari, vel aliquo terebello groſſo. Deinde medicinis debitis, cum reſiduo curæ eſt procedendum.

CUra vero illius ſpeciei, quæ *empiaſma* & *antiaca* dicitur, in qua frangitur cranium in partes plurimas, & deſcendit ſu-

pra ſiphac infra os ſanum, à quo oſſe interdum fit punctura & gravamen panniculo: hujus inquam ſpeciei cura eſt iſta; ſcilicet ut quam citiſſime medicus os confractum, quod in loco non eſt aptum vivere, removeat, & forcipe vel lenticulari vel ſerra oblonga incidat os ſanum quod prohibebat os ruptum & fractum exire: poſtea cura debita cum medinis procedat, uti convenit.

SI autem contingat os perforari ſagitta vel ſtilo & ſimilibus, extractis illis ante omnia curandum eſt ut modo antedicto cutis dilatetur. Deinde urgentibus accidentibus, ſi opus eſt, dilatetur foramen oſſis cum terebris ad formam limæ factis vel aliquibus aliis, ut ſanies ſi qua ſit expurgari poſſit. Quod ſi vero accidentia illa proveniant ab apoſtemate, parum confert talis in oſſe operatio. Cæterum deinceps medicinis ad propoſitum facientibus exiccare vulnus & totam curam perficere oportet.

Cap. XLVI.

Peroratio.

IStum per ferramenta curandi modum poſtpoſui omnibus aliis modis curandi

præ-

prædictas læsiones, ut legentes & operantes cognoscant, omnia alia remedia prius tentanda esse antequam ad hoc opus se convertant: quia, ut supra latius diximus, prius altera illa via & alter modus est tentandus antequam ad ferramenta deveniatur. Quod si tamen necessitas postulet quanto citius ad illa devenimus tanto melius est.

Atque hæc sufficiant de cranii fractura: quæ à nobis paulo fusius sunt tractata. Sed prolixitatis veniam rogo. Potuissem certe hæc strictiori sermoni includere.

AMICO LECTORI.

QUoniam vulnerum cranii vetustæ appellationes, more barbaris seculis usitato, ab auctore nostro prolatæ plurimum à Græci sermonis, cui illas debemus, nitore abeunt: visum est hoc loco adjungere celebre illud Æginetæ fragmentum, ex quo genuina omnium capitis vulnerum nomina licet petere. Hoc enim satius esse arbitrati sumus, quam intempestiva ipsiusmet auctoris emendatione tenebras iis parere, qui barbarorum scriptorum lectioni assueti sunt.

Fractura in capite peculiariter calvariæ est divisio, nunc simplex, nunc multifida, à vi quadam exteriore facta. Porro differentiæ capitis fracturarum hæ numerantur, Rhogme, Eccope, Ecpiesma, Ecgisoma: Camarosis, in infantibus etiam Thlasis. Rhogme, calvariæ per summa est divisio, aut rima profundior, in qua nequaquam os vitiatum foras emovetur. Eccope, calvariæ fissura est, cum ossis offensi ruptura. At si à reliquo osse pars offensa discesserit, Aposceparnismon nonnulli vitium appellant. Ecpiesma in multas parteis calvariæ effractio est, in qua profundius ossa descenderunt, ut cerebri membranam contactu suo premant. Ecgisoma, calvæ ictus est, in quo os vitiatum ad interiorem cerebri membranam descenderit. Camarosis, divisio calvariæ est in qua pars affecta cameræ modo exaltata relinquitur, ut Galenus tradit, ac intro à sanis fractura partibus ossa magis recedunt. membranæque innituntur, quemadmodum in Ecpiesmate. sic enim ille existimat. Alii etiam Trichismon, quasi dicas capillationem his adnumerarunt. Est autem Trichismus, arctissima rhogme, sensum plerumque fallens, eoque latens: quæ quia non facile se ostendit, mortis causam sæpe adfert. Thlasis calvariæ divisio non est, eoque nec fracturam recte dixeris ejusmodi affectionem; verum est ossis

cal-

calvæ in interiorem partem impulsio, aut inflexio, concavitatem integra calvæ continuitate efficiens tantum; ut licet in plumbeis, ex crudove corio confectis vasculis, si foris percutiantur illidanturve, conspicari. Porro Contusionis hujus duæ existunt differentiæ; vel enim calva per totam ipsius crassitiem contunditur, ut frequenter etiam cerebri membrana abscessu occupetur; vel omnino à calvaria hæc per totum, aut non per totum premitur. sed juxta exteriorem duntaxat superficiem usque ad laminam secundam deprimitur. Sunt qui his differentiis Apechema, quasi dicas ab Echo responsionem, addiderint. Ea est, à contrariâ ictus parte facta calvariæ fractura. At falluntur hi; quoniam non fit in hominis calva quemadmodum in vitreis quibusdam vasculis fieri illi docent. Illa siquidem vacua sunt, ideoque id patiuntur: calva autem hominis undique plena & alioquin solida est.

SERIES CAPITUM.

Cap.

FINIS.

CATALOGUS
LIBRORUM
MEDICORUM ET PHILOSOPHORUM

Qui in Officina Vid. & Fil. *Corn. Boutesteyn* comparari possunt.

Acta Eruditorum Lipsiensia cum supplementis & indicibus Compl. in 4°.
Aquapendentis Opera Anatomica & Physiologica, in Folio.
Boerhaave Index Plantarum, in 8°.
Bachlivi Opera Omnia, in 4°.
Barbette Opera Omnia, in 4°.
Barlierii Historia Plantarum, in Folio.
Bocharti Opera Omnia, in 4°.
Bartholini Anatomia, in 8°.
Blancardi Opera Omnia, in 4°.
Bellini Opuscula aliquot, in 4°.
——— de Urinis & pulsibus, in 4°.
——— Exercitationes Anatomiæ, in 4°.
Bennet Theatrum Tabidorum, in 8°.
Berengarius de Fractura Cranii, in 8°.
Boerhaave Orationes Variæ, in 8°.
——— Aphorismi, in 8°.
——— Institutiones Medicæ, in 8°.

Bo-

Boneti Sepulchretum Anatomicum, 3 voll. in Folio.
Burneti Telluris, in 4°.

Cælius Aurelianus de Morbis Acutis & Chronicis, in 4°.
Claubergii Opera Omnia.

Dionis Cours des Operations de Chirurgie, in 8°.
—— Anatomia, in 8°.
Donkers de Febribus, in 8°.
Duretus in Hippocratem, in Folio.

Etmulleri Opera Omnia, 3 voll. in Fol.

Du Fenne Inſtitutio Linguæ Gallicæ.

Gliſſonii Tractatus Varii, in 12°.
Gaukes Praxis Medico Chirurgica, in 8°.
De Graef Opèra Omnia, in 8°.
Goedart de Inſectis, in 8°.
Gulielmus de Salibus, in 8°.

Hermanni Catalogus Horti Academici Lugduno Batavi.
Hippocratis Foeſii, in Folio.
—— Almeloveen, 24°.
Hugenii Opuſcula, in 4°.

Leeu-

Leeuwenhoek Opera Omnia, 2 voll. in 4°.
Langii Opera Omnia, in Folio.

Mangeti Bibliotheca Anatomica, in Folio.
Markgraef Prodromus Medicinæ Practicæ, in 4°.

Palfin Deſcription Anatomique.
Pharmacopea Amſtelredamenſis.
Plaſſonius de Partibus Generationi, in 12°.
Pechlinus de Purgantibus Medicamentor. facultatibus, in 8°.
Peyeri Parerga Anatomica, in 8°.

Ray Methodus Plantarum, in 8°.
Ruyſchii Opera Omnia, in 4°.

Et adhuc multi alii Libri in omnibus facultatibus.





